







CAPIVACCI
METHODUS
MEDENDI
1596











NOVA METHODVS MEDENDI

HIERONYMI CAPIVACCEI PATAVINI,

Medici, & Philosophi Excellentiss. ac ordinarij Professoris in primo loco Practicæ

in florentiss. Gymnasio Patauino lectionibus publicis explicata, & recens suis locis Capitibus distincta.



BONONIÆ, Apud Io. Bapt. Bellag. 1596.

Impensis Simeonis Parlaschæ.

Cum consensu Superiorum.

*præclaro, & illuſtri omnino tuo ad-
ueniente nomine, ex te claritatis plus,
plus gloriæ, & maieſtatis acquirat;
grati quoque mei erga te animi in om-
ne æuum, monimentum extet publicè;
tibi inquam, vir excellentiſſime,
totum illum dicatum, conſecratumq́;
volo. Quòd vt æquo accipias ani-
mo, faueasq́; mihiq́; meisq́; laboribus,
ſummopere te rogo. Vale, vir
excellentiſſime. Bon. Kal. Octob.
MDXCVI.*

Ad Beneuolum Lectorem.

IN nostro hoc libello, quæ emendationé potuissent admittere, inuenies forsan haud pauca. Verùm scias, Lector candide, ea vel omnia, vel parte maxima futura quoque tibi obuia legenti eundem libellum in Germania expressum: quem sanè sequi nos ad amussim maluimus; quàm pro nostra opinione authori aliquid, vel addere, vel demere. Tu hic, quæ sapiunt tibi minus; ipse pro tua prudentia tibi tolle, emenda. Vale.



EXIMIO ARTIVM, ET MEDICINÆ DOCTORI,

Domino FLAMINIO Rotæ, Anatomico in Bononiensi Academia ordinario Domino colend.

Simon Parlasca Bibliopola. S. P. D.

SANE semper, & angue peius odi id genus hominum, qui tantum, quòd utile est, solicitus computat articulis; honestum, æquumq; iusq; deq; faciunt. Alios verò contrà: quorum & me professionis esse, libenter fateor.

Ideoq; nil mihi prius, quàm vt modis omnibus (meo tamen pro modulo) iuuem Rempub. literatam. Cui, quàm graue sit, hoc Medici doctißimi labore, operaq; (idq; ob solam exemplorum inopiam) destitui, iam diù multæ multorum querelæ testantur satis. Quare priuatis posthabitis; vt, quæ nautis est cynosura, Medicis Medendi Methodus ante oculos versaretur omnium; tyrones quoque hac adiuti quorsum, & quousque in magno illo Medicinæ pelago sibi cursus dirigendus, collimandusq; perdiscerent probè; curæ mihi certè haud vulgaris. Meum hoc qualecunque studium, vt nulli non erit vtile; sic fore quoque cunctis gratum, acceptumq; planè confido. Tibi verò, vir excellentissime, librum hunc, vt qui sua sponte, & magnus, & clarus est,

præclaro,

DE METHODO MEDENDI,

Excellentissimi

HIERONYMI CAPIVACCEI

Deputati ad Lecturam ordinariam in primo loco Practicæ in florentissimo Gymnasio Patauino.

LECTIO PRIMA.



VM institutum sit de Methodo Medendi dicere, dubitãdum non est, nos suscipere prouinciam & admodum vtilem, & sanè difficilem.

Vtilitatem, immo verò necessitatem ex eo colligere licet, quod cum ex Galeni primo, de tuenda valetudine capite primo, duę sint pręcipuæ partes artis Medicæ, inter has enumeretur Methodus Medendi, siue ars curatrix, prima, quòd reliquæ artis partes in hanc curatricem referantur; nempe Physiologia, Pathologia, & quæ de signis loquitur.

Quo verò ad huius Methodi difficultatem hanc facile haurire licet ex Galeno, quandoquidẽ huius Methodi gratia scripserit libros

quatuordecim, quos inſcripſit de Methodo Medēdi, & augetur difficultas, nam licet admodum prolixus fuit, vſq; adeò tamen difficiles ſententias proponit, vt fatear me ignorare, quinam hucuſq; Galenum rectè intellexerit, in tāto igitur negotio tria præſtabimus. Primùm quidem verſabimur circa nomen Methodi. Secundò huius Methodi eſſentiam explicabimus, ex qua patebit quotuplex poſſit eſſe Methodus Medendi. Tertiò, cùm Methodi eſſentia conſtituatur ab Indicatione, diligenter etiam loquemur de Indicatione, & fortaſſe ea cum diligentia, vt omnes Galeni autoritates, quę ſibi inuicem videntur aduerſari, facillimæ nobis reddantur, & perſpicuè appareant omnes in vnicam veritatem conſpirare. Rem igitur aggrediar.

De Nomine Methodi.

4. *M*. 4. QVoad Nomen ex Galeni 4. Meth. 4. per Methodum oportet intelligere viam vniuerſalem, quæ particularium eſt cōmunis, hoc eſt, viam vniuerſalem, quę cuilibet indiuiduo eſt applicabilis, hoc eſt, viam vniuerſalem, quam dum eritis apud ægrotantes ſcietis applicare. Hinc ſequitur, quòd via nihil aliud ſit, quàm tranſitus ab vno ad aliud, ſed non dicatis more quorūdam, opus eſſe intelligere viā quam quilibet ſibi parat, propterea quòd etiam aſinus iter adiens à vico in alium vicum ſibi parat viam, quæ tamē

non

non eſt Methodus, & ideo per viam intelligatis tranſitũ ab vno ad aliud cum ordine: & in hoc Medici dogmatici à reliquis diſtinguuntur. Hæc veritas fuit propoſita à Galeno primo Methodi capite quarto, vbi ait Methodo inuenire non eſt fortuito inuenire, ſed ordine quodam; & magis explicans Galenus loco citato ordinem hunc, ſubdit, vt aliquod ſit primum, aliquod ſecundum, aliquod tertium: ſignificans eſſe progrediendum à genere generaliſſimo ad genera ſubalterna, & à generibus ſubalternis ad ſpecies: verbi gratia: Si febricitet Socrates, ita eſt progrediendum, vt primò perpendamus Socratem febre affectũ, eſſe correptum morbo, ecce genus generaliſſimum; deinde verò in hac via progredimur dicentes, febrem eſſe morbum calidũ: & magis adhuc deſcẽdimus dicentes, eſſe morbum calidum vt duo: ecce eſt via à genere ad ſpecies, quem progreſſum ſignificat Galenus 2. M. 7. dum ait, auſpicandum eſſe à primis indicationibus, hoc eſt genericis, & eſſe progrediendum ad ſpecificas: & ob id non eſt quælibet via, ſed via ordinata à primo indicante ad ſecundum, ad tertium, à generico ad ſpecificum. Sed fortaſſe quæret iunior, quænã hæc via eſt? Galenus 2. Meth. 2. ſtatuit hanc viam eſſe reſolutiuam, in via reſolutiua progreſſus ex neceſſitate eſt à fine ad ea quæ ſunt propter finem, cuiuſmodi eſt via in hac Metho-

1. M. 4.

2. M. 7.

2. M. 2.

do, propterea quod nos progredimur ab indicante ad indicatum, recte intelligatis, quia non omnes intellexerunt hãc veritatem, dum progredimur ab indicante ad indicatum, est progressus à fine ad ea, virtute quorum finem cõsequimur: do exemplum, dum adest febris, dicimus est morbus calidus, ergo erit indicatio refrigerandi: morbus calidus est finis indicans, præsidium refrigerans est indicatum, est illud quod dirigitur in finem, respicit finem, indicans morbum calidum qui remouet morbum calidum. Est igitur hæc via, via ordinata, & est via resolutiua, cui tamen famulatur diuisio. hanc sententiam proposuit Galenus (volo præstare quod sum pollicitus) primo ad Glaucum 1. quod caput nescio ego à quo intelligitur, hoc vnum certò scio fieri non posse, vt qui rectè assequitur hoc caput, imaginetur asserere venæ sectionem indicari à morbo magno, vnà cum sanguine siue plenitudine: Declaro, Galenus loco citato dicit, ille Medicus qui scit haurire indicationes omnes per diuisionem inuentas, hic solus quãtum humanis permittitur viribus, medendo non errabit; ecce hoc in loco euidẽtissime Galenus patefecit Diuisionem famulari Methodo medendi, quia oportet haurire Indicationes, quæ inueniuntur per Diuisionem: ecce Diuisio famulatur; & tanti Galenus fecit hãc Diuisionem vt asseruerit hanc solã, quantum huma-

humanis permittitur viribus, medendo nõ errare, quare qui non calluit hanc Indicationũ per Diuiſionẽ inuentionẽ, dubio procul errabit, & infelices ęgrotantes manebũt, vnde diuiniſſime Galenus loco citato, ne in tanti momẽti prouincia deficeret, ꝓponit tres errores, qui ab imprudentibus facile poſſent cõmitti.

PRIMVS ERROR.

Primus error eſſe poteſt, quando Medicus diuidens vt inueniat Indicationes, non pertranſit genus, quo fit vt inueniat tantum per diuiſionem indicationem genericam, quę nobis manifeſtat indicatum genericum, quod non ſufficit pro curatione, & ideo qui ita diuidunt, ſunt diminuti.

SECVNDVS ERROR.

Secundus error eſt quo diuidentes progrediuntur à genere generaliſſimo ad ſubalterna, in quibus perſiſtunt, non vltra progrediuntur, quo fit vt & iſti ſint diminuti, quia per Diuiſionem inueniunt indicationem genericam ſubalternam, & hinc indicatum genericum ſubalternum, ſed dimittunt ſpecificum, quare in curatione aberrant, exempli gratia, ſi homo febricitat, febris vt morbus, indicat remouẽs, vt morbus calidus, frigidum, ſed hoc non ſufficit, ſed oportet deſcendere ad ſpeciem ſpecificam, vt ſi verbi gratia, febris eſt morbus calidus vt duo, indicat remedium ſpecificum, & frigidum vt duo.

Tertivs Error.

Tertius error eſt, quo Medicus vitioſam ſeu prauam facit Diuiſionem. Quid oportet intelligere per vitioſam, prauam diuiſionem? Diminutum locuti fuimus, Galenus loco citato primo ad Glaucum primo, ſe ipſum nõ declarauit, quia cognouit hoc pertinere ad logicum, ſed Galenus omnia ferme cognoſcẽs, applicat veram doctrinam ſuo propoſito, vt interpretemur Galenum per eũdemmet Galenum, dicemus 9. M. 14. tria eſſe quæ primam curationem indicant: ſed in præſentia nolo explicare quid velit Galenus per hæc verba, quo dixit tria ſunt quæ primam curationem indicant, quia licet hęc verba ſint difficillima vt explicatione egeant, non licet tamen vt in præſentia à nobis explicentur, ſed ſuo loco, ſed ſolum in præſentia ad nos pertinet intelligere id, quod attinet ad diuiſionẽ. Inquit igitur Galenus, tria ſunt quæ primam curationem indicant, Morbus, Temperatura, & Aër: ſubdit autem Galenus morbum diuidi in differentias, ſed non in cauſas. Temperaturam autem & aërem diuidi non in differentias, ſed in cauſas: ego vellem, vt qui aſſerunt venæ ſectionem indicari à magnitudine morbi vnà cum ſanguine, explicarent hunc locum; quia vbi intelligerent, nequaquam in abſurdum vſq; adeo inſigne inciderent. locus huiuſmodi hunc in modum eſt interpretandus:

Cõtra illos q dicunt ſectionem venæ à morbo magno vna cũ ſanguine indicari.

dus:

dus: Galenus loco citato,hoc eſt, 9.Meth.14. loquitur de Indicatione tantùm curatiua, de indicante tantùm curatiuo, quod ſit verum, dicit tria ſunt quæ primam curationem indicant, quod curationem indicat, & verè indicat,eſt tantùm morbus, & hoc pro nunc ſupponatis,indicans curationẽ eſſe tantùm morbum, hinc fit vt morbus ſit diuidendus in differentias,ſpecies, non in cauſas, nã licet morbus habet cauſas, hoc tamen loco non poteſt diuidi in cauſas, ratio eſt, quia hoc loco ſermo fit tantùm de indicatione curatiua, non de præſeruatiua, quia indicatio præſeruatiua ſumitur à cauſa curatiua à morbo, ſpecie morbi,à morbo,à morbo calido,vt duo,ſi hic morbus fiat à ſanguine, à ſanguine ſumitur indicatio præſeruatiua,ſic Galenus loquitur de indicatione curatiua tãtum, quare non poteſt non debet morbus diuidi in cauſas, quia nos confunderemus indicationes curatiuas cum præſeruatiuis, & ob id dicit Galenus primo ad Glauc.1. illos errare qui vitiosè diuidunt, hoc eſt qui confundunt indicationes curatiuas cum pręſeruatiuis,qui diuidunt morbum in differentias & in cauſas,veluti illi faciunt, qui dicunt venæ ſectionem indicari à morbo magno vna cum ſanguine, miſcent morbum cum cauſa, id eſt, ſanguine, qui eſt cauſa morbi.

LECTIO SECVNDA.

DVM loquimur de voce Methodi, dicimus opus esse intelligere per Methodũ viam quãdam ordinatam, cui famulatur Diuisio. vt diuisio ea esse detur, quæ sit perfecta, & nequaquam vitiosa, & proponit ita esse procedẽdum, vt beneficio diuisionis hauriantur in primis indicationes genericæ, deinde subalternæ, & tandem specificæ, & in hac via ac diui sione hoc esse seruãdum, vt non sit vitiosa prauaq; Diuisio, hoc est, dum sermo sit de Indicatione curatiua, vt non confundatur cum præseruatiua, & ob id vt Diuisio quæ respicit morbum, non complectatur causas: Diuisio quæ respicit causas, non complectatur morbum, non oportet confundere, & suo loco dum loquemur de Methodo intelligetis quomodo procedendum sit in quocunque indicante. Hactenus constitutum sit vt asserit Galenus 9. Meth. cap. vlt. in hac Methodo in hac via hauriendas esse Indicationes in primis primas, hoc est, genericas, deinde secundas, id est, subalternas, vltimo specificas. vt verbi gratia, si respiciamus ad sanguinem, & proinde ad indicans præseruatorium, sanguis vt quid morbificum præter naturã indicat auxilium remouens; descendamus, si uerbi gratia, sanguis peccat, & peccatum sit vehemens, indicat auxilium remouens sanguinem, sed non ita genericum, sed uehemens, quia peccatum

eſt vehemens, & ſi verbi gratia, ſanguinis peccatum vehemens fuerit ſecūdum motum, indicat remedium adhuc magis determinatū, immo ſpecificū, quod eſt remediū vehemens, ſed reuulſorium. Et hæc dicta ſint generice, quia ſuo loco diligēter de his loquemur; cùm igitur per Methodū oportet intelligere viam ordinatā, cui famulatur Diuiſio, notetur quo ad vocem, nos in præſentia non modò verſari circa Methodum, verum etiam circa Methodum medendi, ad differentiam Methodi tuendæ ſanitatis, vt hęc vox, id eſt, Methodus medendi, ſignificet artem medendi, vt idem ſit inſcribere libros quatuordecim de Methodo medendi, & idem de arte curādi, idem eſt aſſerere Methodum medendi, & artem curatricem, & hæc dicta ſint de voce. Aggrediamur huius methodi medendi eſsētiam, quam conſequi licet beneficio definitionis. Hæc igitur ſit Methodi medendi definitio.

DEFINITIO.

Methodus medendi eſt ars, qua per indicationem inueniuntur iuuantia, vt deperdita ſanitas hominis reparetur. Neceſſarium eſt, vt vos cogitetis, an hæc Definitio ſit vel bona vel mala, quomodo cogitatis recte hoc intelligatis, vt ex vobiſmet ipſis citra præceptores ſciatis tradere definitiones, & iudicare, an definitiones ab alijs traditæ ſint comprobandæ.

Per-

Perfecta Definitio, in ſe claudet formam, ſubſtantiam, efficiens & finem, quare inquirere oportet an hæ cauſæ, & qua ratione claudantur in propoſita definitione.

Cavsa Formalis.

QVantum attinet ad cauſam formalem, dictum fuit eſſe artem. Namque cum Medica facultas ſit ars, & Medica facultas tum alias partes in ſe contineat, tum potiſſimum Methodum tuendæ ſanitatis & curationes, neceſſarium eſt vt fateamur Methodum curatiuam eſſe artem: cum ſit ars, nō eſt inſtrumentum Methodus medendi, ſed eſt habitus principalis potentialis, non ſcientia quidem, non prudētia, non intellectus, nullus deniq; habitus potentialis niſi ars, & cum ſit ars, & proinde habitus intellectus, dum proponitur hæc forma, patet etiam ſubiectum, quod eſt habitus potentialis non corporis ſed animi intellectus.

Cavsa Efficiens.

QVo verò attinet ad cauſam efficientem, hæc fuit propoſita in Definitione, quādo dictum fuit (qua per Indicationes) namq; Indicatio eſt cauſa efficiens, nāq; Indicatio, vt ſuo loco explicabimus, eſt inſtrumentum, Methodus medendi non eſt inſtrumentum, ſed habitus potentialis effectiuus, id eſt, ars: ſed cauſa efficiens huius habitus potētialis, eſt Indicatio, quia Indicatio eſt inſtru

men-

mentum; instrumentum reducitur ad causam efficiētem, vt omnes sciunt, & quia omne instrumentum beneficio cuius comparatur habitus principalis ex necessitate, est instrumentum logicū, vt suo loco demonstrabimus, dum loquemur de Indicatione, indicationem esse instrumentum logicum, instrumentum inuentum à logico, per hanc autem efficientem causam Methodus medendi distrahitur ab ea curatione, quæ non pertinet ad dogmaticū, quia non inuenitur per Indicationem, non comparatur per indicationem, sed vel per experientiam, vel anologismo, vel alio instrumento ab Indicatione. Vnde Galenus, vt omnia etiam cum Galeno confirmemus 12.M.5.dicit, si alteratio in spiritu fiat, vel ab aliquo venefico, vel à quolibet alio veneno, esse negotium extra Methodū medendi. Quare est negocium extra Methodum medendi? quia non potest comparari Indicatione, sed alio instrumento, vnde Galenus primo Meth.c.4. dicit institutū eius esse, sermonem habere de remedijs quæ nō empirice, sed Methodo, sed per indicationes inueniuntur: cōstitutum igitur sit efficientem causam medendi methodi esse per Indicationem; quid autem sit Indicatio suo loco docebimus, & summa cum diligentia.

Explicatio.

12. M. 5.

1. M. 4.

Cavsa Finalis.

Qvo vero attinet ad causam finalem dictum fuit in definitione, (qua per indi-

cationes inueniuntur iuuantia, vt deperdita sanitas hominis reparetur) in quibus verbis v manibus hanc veritatem tangatis, continetur duplex finis, vt alter poſſit vocari internus, reliquus externus, licet qui externus vocatur vna ratione, alia ratione poſſit vocari internus. Declaro, alter finis & internus eſt, quando dictum fuit, inueniuntur iuuantia, nam inuentio iuuantium eſt finis internus indicatiuus: Alter finis eſt dum dictum fuit, vt deperdita ſanitas hominis reparetur, qui finis poteſt vocari externus, ſi reſpiciamus ad indicationem, poteſt autem vocari internus, quotieſcũque reſpicis ad totam hanc Methodũ medendi: vtrunque finem magis atque magis explico, & in primis quantum attinet ad finem indicationis, qui erat inuentio iuuantium; Hũc
5. *M.* 9. finem propoſuit Galenus 5. Meth. 9. vbi voluit pertinere ad Methodum Medendi tradere inuentionem prǽſidiorum: & hoc loco quęſo admoneantur iuniores cur potius in hac definitione dictum ſit, vt inueniantur iuuantia, quam vt inueniantur indicata.

Cur iuuantia & non indicata in definitione poſita ſunt.

Ratio huius fuit quia quod ſolemus quandoq; dicere, eſt dolor lateris, eſt tuſſis, eſt difficultas anhelitus, ergo inflammatio, pleuris: nos beneficio iſtorum ſignorum deducimur in inuẽtionem indicati, ſignati, hoc eſt

pleu-

pleuritidis, ſed pleuritis non eſt iuuans, imò nocet, eſt quidem indicatum, ſed non eſt indicatum de quo in præſentia eſt ſermo, & ob id vt ab hoc indicato, vt ab inuentione huius indicati diſtingueret illud quod inuenitur per Methodum, per indicationes, rationabiliter in definitione dictum eſt, inueniuntur iuuantia, per iuuantia autem intelligimus id omne quod inuenitur per indicationem, quod duplex eſt præſidium, eſt præſidium, & eſt recta adminiſtratio materiæ præſidij.

Duplex indicatum in Methodo Medendi.

RECte percipiatis: Hoc iuuans eſt duplex: eſt præſidium & eſt recta adminiſtratio materię pręſidij, propter iuniores declaro; exempli gratia in Febri præſidium eſt frigidum, frigidum vt duo, ſi forte febris ſit calida vt duo, præſidium igitur eſt frigidum vt duo, huius præſidij materia verbi gratia eſt lactuca, circa quam materiam præſidij frigidi perpendimus vſum, rectam adminiſtrationẽ hoc eſt quãtitatem lactucæ, modum adminiſtrandæ lactucæ, tempus quo eſt adminiſtranda lactuca, & locum cui eſt adminiſtranda, vt iuuans in ſe claudat quid agendum, quantum, quando, quomodo, & vbi, vt neque ſint plura neq; pauciora. Confirmatur hæc veritas Galeni dictis 6.M.1. vbi voluit ad Methodũ pertinere inuenire remedia & ſcire etiam inuentis recte vti: Inuentis recte vtimur, quando *6.M.1.*

nullus

nullus ſit error, vel in doſi, vel in modo, vel in tempore, vel etiam in loco, docet etiam idem Galenus 6. Meth. 2. Methodum & auxilia inuenire, & inuenire etiam vſum inuentorum: ſed notent iuniores ad confirmationem huius veritatis dixiſſe Galenũ primo, ad Glaucum primo, Methodum medẽdi perfici & qualitate & quantitate auxiliorum tum vſus & temporis occaſione. Propoſui hanc authoritatem quia fui vobis pollicitus declarare omnes ferme auctoritates ad Methodum medendi ſpectantes, & profecto quia ego neſcio à quo intelligantur: hunc locum ita ego explico, dum dixit Galenus 1. ad Glaucum 1. Methodum medendi perfici qualitate & quantitate auxiliorũ, per hoc nihil aliud intelligit niſi quid agendum, nõ rectam adminiſtrationem, quia loquitur de quantitate & qualitate pręſidiorum, non materiarum remedij, explicant omnes, per qualitatem oportere intelligere quid agendum, per quantitatem quantitatũ agendum, hoc eſt falſiſſimum & ratio eſt, quia loquitur non de materia auxilij, ſed de auxilio, exempli gratia, ſi ſermo fiat de febri, loquitur de auxilio refrigerante, non de lactuca, nõ de materia frigidi. Quid agendum non aliud eſt quam auxilium, recta adminiſtratio reſpicit materiam auxilij non auxilium; Galenus hoc loco dicit Methodũ perfici qualitate & quãtitate auxiliorum, do exemplum propter iuniores,

6. M. 2.

Ad Glauc. 1.

Optima explicatio.

Quid agendũ.

iores;si verbi gratia ratione febris indicatur auxilium frigidum, tunc inuenta est qualitas quid agendum, id est remedium frigidū, hoc remedium frigidum potest esse frigidum vel in hoc vel in illo gradu primo, secundo, tertio, & hoc est quid agendum specificū, remedium magis determinatum, & hoc est quod significat Galenus quando proposuit quantitatem, quia gradū auxilij exprimit per quantitatem, quia nō ita sollicitus fuit de vocibus, sæpe vero cōfundit quantitatē cum qualitate, quemadmodū dicere solemus, febris magna, cum tamen sit dictio impropria quia febris proprietas dici debet vehemens potius quā magna, ita etiam Galenus per quantitatem intelligit quid agendum specificum.

Lectio Tertia.

PRoposuit Galenus quid agendum genericum dum proponit qualitatem; quid specificum dum quantitatem.

De Recta Administratione.

QVo verò attinet ad rectam administrationem, proposuit Galenus loco citato modum vsus, intelligens rectā administrationem hoc est quantum, quomodo & vbi, & quia recta administratio in se claudit etiam quando agendum, hoc non diuisit, cum in medium affert temporis occasionem, & quia fui vobis pollicitus declarare authoritates, debent iuniores animaduertere, quia

aliquis

aliquis posset obijcere cum quando agẽdum pertinet ad rectam administrationẽ, cur Galenus per modum vsus non intelligit etiam quando agendum. Distinguit nec citra artificium, Galenus modum vsus, hoc est, quantum, quomodo & vbi à quando, à tempore agendi distinguit quando agendũ à reliquis tribus propter difficultatem, nam vt exprimit Galenus, nancisci temporis occasionem difficilimum est: & ideo respiciens ad hanc difficultatem, quam etiam proponit, separat quando agendum à reliquis tribus. Sed adhuc dubitabit iunior, quia quandoque dixit Galenus quantitatem nec verbo exprimi nec scribi posse nec mente etiam concipi, quare videtur esse maior difficultas circa quantum agendum, quam circa quando agendum. Oportet recte intelligere Galenum, dum loquimur de quantitate, duplex potest esse sermo, alter de quantitate, vt significet quid agendum specificum. Quid agendum specificum, vt suo loco intelligetis, indicatur à gradu determinato indicantis, exẽpli gratia auxilium frigidum vt duo in prima mansione indicatur à morbo calido vt duo in prima mansione, quem gradum, quẽ Galenus quandoque quantitatem vocat, solus Deus potest cogitare, vnde fatebatur Galenus, se posse fateri similem Esculapio qui gradum determinatum cogitaret, & ideo difficultas est in

Ad Glauc. 1.

quantitate

quantitate ut respicit quid agēdum, at si alio modo capiatur, vt pertinet ad rectam administrationē, multò difficilius est assequi quādo agendum, quàm quantum, quia occasio est pręceps; patet igitur quomodo hæc authoritas sit intelligenda. Præterea idem Galenus in arte Medicinali cap. 89. dicit ad Methodū pertinere inuenire qualitatem materiæ, hoc est quid agendum. Præterea quantitatem per hanc significans quantum agendum tempus oportunum, & modum vsus, hoc est quomodo & vbi: & ex his verbis pariter colligere licet illa duo, hoc est quid agēdum & rectam administrationem: Explicatus igitur est finis & finis internus indicationum, qui finis est inuenire remedia iuuantia & usum. *In arte Medicinali. cap. 89.*

Finis totius Methodi Medendi, totius artis curatricis.

QVò uerò spectat ad finem totius Methodi medēdi totius artis curatricis, hic finis est propositus, dū dictū est, vt deperdita hominis sanitas reparetur, propterea est sanitas hominis deperdita, ad differentiā brutorum; dictum autē fuit, vt sanitas deperdita reparetur, ut hæc Methodus distinguatur à Methodo tuendæ sanitatis: etenim & Methodus tuendæ sanitatis est ars, qua per indicationes inueniuntur iuuantia, ut adhuc nullum appareat discrimen inter artem, Methodum tuendæ sanitatis & Methodum me-

dendi, quare distinguitur per particulam ultimo loco propositam, quam particulam proposuit Galenus 1.Meth.5. dicens propositum esse in Methodo medendi morbum remouere, ut sanitas reparetur, 9. M. 3. dicit ad Methodum medendi spectare inuenire auxilia, quibus æger sanetur, ecce respicit ad sanitatem deperditam recuperandam ad differentiam tuendæ sanitatis. Præterea idem Galenus 9.M.5. ait, sanatio seu curatio est patientis in corpore uitiosi affectus in naturalē habitum mutatio, quo loco quæso diligenter aduertatis, quęnam sit definitio hęc curationis, per curationem intelligit Galenus artem curatricem, Methodum medendi, ista sunt synonyma, unde idē est ac si dixisset, Methodus medendi ars curatrix, est patientis in corpore uitiosi affectus in naturalem habitum mutatio. Quæ definitio est ista. Est definitio tradita à Galeno, quare bona, sed est definitio tradita per causam finalē, nec redarguenda definitio, cum artes per finem distinguantur, ut cum finis huius artis sit remotio morbi, sit uitiosi affectus in naturalem habitum mutatio. Hæc est definitio tradita per causam finalem, ut ex his patet, cur dixerimus in definitione Methodum medendi esse artem qua per indicationes inueniuntur iuuantia, ut sanitas deperdita hominis reparetur. Ex explicata definitione facile intelligere licet, quemadmodum

1.M.5.

9.M.3.

Definitio curationis.

admodum Methodus medendi multiplex esse possit, ut aliquo modo differentias haurire licet à forma & à fine.

METHODI DIFFERENTIA A FORMA.

A Forma ut sit ars, sit habitus uniuersalis, sit etiã habitus specificus, & hoc colligere licet ex Galeno 4. Method. capit. 4. ubi dicit auspicandum esse semper ab effectu siue in uniuersali, siue in particulari, siue in genere, siue in specie, ut dixerit quarto Methodi primo, tot esse Methodi species quot sunt species morborum, exempli gratia in febribus hæc seruatur Methodus: Est morbus calidus ideò refrigerandum, morbus calidus ut duo ideo refrigerandum ut duo. ad eundem modum in hydrope est morbus frigidus, quare calefaciendum, est frigidus ut duo, quare calfaciendus ut duo, ut merito dixerit Galenus, tot esse Methodi species quot sunt morborum species, semper tamen eadem uia, eodem ordine progredimur, progredimur, inquam ab indicatione generica ad specificam. Sed dubitabit iunior, quia Galenus 5. M. 9. (uideatis illud caput) dicit se tradere Methodos quæ præsidiorum genus tantum indicant, si hoc est uerum, quomodo hæc Methodus ut superius dictum fuit, progreditur ab indicationibus genericis ad specificas. & ideo dixi esse necessarium interpretari & explicare Galeni authoritates.

4. Metho. 4.

Dubitatio. 5. M. 9.

SOLVTIO AVTORIS.

DIcerem ego per genus præſidiorum intelligere præſidium genericum, hoc eſt commune & huic & illi materiæ: Declaro, Galenus ibi proponit præſidium ad differentiam materiæ præſidij, vt verbi gratia ratione morbi frigidi, indicatur pręſidium calidũ, cuius materia potest eſſe multiplex; poteſt eſſe petroſelinum, poteſt eſſe piper, poteſt eſſe aniſum, vt præſidium calidum, & calidum in tali gradu, licèt ſit præſidium ſpecificum, ſi conferatur cum præſidio generico, poteſt tamen vocari præſidium genericum ſi conferatur cum materia præſidij, quia hæc materia vt audiuiſtis multiplex eſſe poteſt: unde Galenus hoc in loco accipit genus præſidij comparans cum materia præſidij; quod ſit verum proponit diaſpermaton, materias medicinales: ita igitur debetis illum locum intelligere, ſecus ſibimet contradiceret. confert genus præſidij ad materias medicinales
5.M.9. & recte, dicit Gale. eo in loco.5.M.9.Methodum inuenire tantùm genus præſidij nequaquam materias. nam inuentio materiarum pertinet ad librum de alimentis, de ſimplicibus medicamentis, ad librum de compoſitione medicamentorum: illi libri ſunt extra hãc Methodum, neque obſtat licèt Galenus in libro de Methodo Medendi ſæpenumero proponit materias; nã hoc facit & gratia exempli, &

pli, &

pli, & præterea vt nos doceat in uirtute illorum exemplorum rectam administrationem. Si capiatur Diuisio à fine, hanc diuisionem insinuauit Galenus 4. M. 4. ubi ait; si causa morbifica desinit, non adest, locum habeat Methodus, de qua in tertio libro Methodi medendi; si autem causa morbifica nondum cessauit, adhuc perseueret, oportet uti Methodo de qua in quarto libro. quare duplex est Methodus, duplex est ars Curatrix, vna de qua in tertio libro, alia de qua in quarto. Quomodo ergo intelligendus Galenus? unica est Methodus ars Curatrix, ratione finis tamen diuisionem aliquam admittit. Quomodo ratione finis? finis methodi est morbi sublatio, finis methodi quandoque etiam est causæ sublatio, ut in arte Curandi locum habet ratione morbi, ratione sublationis morbi indicatio curatiua, ratione causæ efficientis indicatio præseruatiua, & ratione utriusque eadem uia progrediendum à genere in speciem specialissimam, ut propterea Methodus Curatiua, ars hęc Curatrix quãdo que sit simplex, quandoque composita.

4. M. 4.

3. Meth.

Duplex Methodus medendi.

Ratione finis.

Methodus Medendi duplex.

SImplex, si non adest causa, composita ex necessitate, si adest causa, & ob id Galenus respiciens ad Methodum simplicem hãc proposuit in tertio libro: nam ibi proponit Methodum ratione morbi tantum, respiciens

Meth. simplex lib. 3.

Compos. Metho. 4.lib. autem ad Methodum compositam, hăc proposuit in quarto libro, nam ibi uersatur non solum circa remotionem morbi, uerum etiam circa remotionem causæ.

LECTIO QVARTA.

De Indicatione.

CVM Methodus Medendi seu cognitio iuuãtium, quam cognitionem tãquam per instrumentum, ac proinde per causam efficientem, consequimur per Indicationem, idcirco diligenter de indicatione loquemur, & tria sunt exponẽda, in primis quidem uox, secundò essentia, tertiò diuisio.

De Nomine.

2.M.7. QVo ad Nomen, ex sententia Galeni 2. M.c.7. INDICATIO nihil aliud significat quàm ipsam sequentis seu agendi, hoc est iuuantis insinuationem; ut illud quod inuenitur quasi in præcedenti aliquo sit designatum, hoc est in Indicante, ut cum hac uoce nobis significetur id quod designatum est in Indicante seu præcedẽte. Sed iunior animaduertat, à Galeno triplicem proponi differentiam INDICATIONIS, & ego propono has tres definitiones, ut sciatis intelligere Galenum, ut licet diuersæ uideantur esse Definitiones, cognoscatis tamẽ unam essentiam esse, ac unicam definitionem: Gale-
2.M.7. nus igitur secundo Metho.7. inquit:

DEFI-

Definitio Prima.

INdicatio est Inuentio eius quod sequitur ex rei natura: unde sciant iuniores, Indicatum id, quod inuenitur per Indicationem, non solùm esse quid agendũ, sed etiam quãtum, quomodo, quando, & ubi; inter quæ hoc est discrimẽ, quoniã quid agendum indicatur tantum ab essentia Indicantis, reliqua quatuor nequaquã, nã recta administratio ut suo loco dicemus, id est, quãdo, quantũ, quomodo, & ubi, hæc sunt indicata, nõ tamen indicantur à natura indicantis, non indicantur ab essentia indicantis, sed ab eo quod consequitur essentiam. Est differentia inter essentiam & illud quod cõsequitur essentiã. Quare Galenus, ut dixi, respiciens tãtum ad quid agẽdum, uerè dixit, Indicationem esse inuentionem eius, quod sequens est ex rei natura.

Definitio Secunda.

SEcunda definitio proponitur à Galeno libro ad Trasybulum, c. 2. ubi dicit: Indicatio est comprehensio iuuantis simul cum natura nocentis quo loco respicit ad quid agendum, & non ad omne quid agendum, sed tantum ad quid agẽdum curatorium, & quid agendum præseruatorium. Declaro Galenum respicere tantum ad quid agendum: ex eo colligitur, quia proponit naturam Indicantis, quæ natura indicat quid agendum, non autem usum, rectã administrationem: Galenũ *Ad Thrasyb. 2.*

præterea proponere tantùm Indicatum curatorium & præseruatorium, ex eo colligimus, quia proponit naturam nocẽtis, quia inquit: Indicatio est comprehensio iuuantis simul cũ natura nocentis, id quod nocet, nocet, necessariò est præter naturam, siue sit morbus, siue causa, siue sit symptoma, ut nocens in ratione morbi sit indicans curatorium, nocens in ratione causę & symptomatis, ut symptoma habet rationem causæ, est indicans pręseruatorium: quare hoc loco Galenus dimittit indicans uitale, & indicatum uitale, id est, quid agendum uitale: nam indicatum non est nocens, non est præter naturam; est quid utile, & ut suo loco demonstrabimus, nil aliud est quàm uirtus. quare hanc definitionem ita intelligatis, ut claudat quid agendum curatorium & præseruatorium.

TERTIA DEFINITIO.

COgnitis ad quod respexerit Galenus, dũ tradidit duas definitiones Indicationis, in præsentia proponitur tertia definitio ab eodem Galeno: propterea inquit Galenus libro ad Thrasybulum cap. 2. Indicationem esse, quando rebus percipiendis perceptis simul & quod confert percipitur citra experientiam & Analogismum. Et puto ego hãc definitionem Indicationis absolutissimam esse, propterea quòd ad differentiam definitionis, primo loco propositæ, in se claudit non

Ad Thrasyb. 2.

modo

modò quid agendum, uerùm etiam rectam administrationem materierum iuuantium. Propterea hæc tertia definitio ad differẽtiam definitionis secundo loco propositę in se continet non modò indicans curatorium & præseruatorium, verùm etiam vitale, vt usq; adeo generalis sit hæc definitio indicationis, vt nisi aliquod addatur, conueniat Indicationi & in Methodo Medendi, & in arte tuendæ sanitatis, vt ad nos pertineat particulam addere; cuius beneficio indicatio, de qua loquimur, distinguatur ab Indicatione, quæ pertinet ad Methodũ tuẽdæ sanitatis. Hęc omnia declaro, vt rectè possitis intelligere Galenum: primùm igitur dum ait Galen. Indicationem esse, quando percipiuntur res percipiendæ, hoc est, quando cognoscuntur res cognoscendæ; dum proponit percipienda, non proponit nocentia, quemadmodum in secunda definitione, sed proponit percipiẽda in genere non contractè: & si in genere, igitur & nocentia & iuuantia. quare Galenus in hac definitione proponit quæq; indicãtia, hoc est curatoria, præseruatoria & vitalia, quæ sunt iuuantia non nocẽtia, dum verò Galenus dicit indicationem esse, quia iuuans percipitur, dum percipiuntur percipienda, dum cognoscuntur cognoscenda, dum proponit hãc particulam, cognitis, perceptis proponit ad differentiam primæ definitionis, quam propo-

suit 2.

fuit 2. M. 7. proponit cognitionem in genere, in communi, vt respicit & essentiã, & id quod consequitur essentiam, ut meritò hæc tertia Definitio distinguatur à prima, qa in prima,
2. M. 7. quæ est proposita 2. M. 7. continetur tantum quid agendum, quod à nullo alio indicatur quam à natura seu essentia indicantis. In hac autem tertia definitione dũ proponit cognitionem in genere, & proinde essentiam indicantis, & id quod consequitur essentiam, facile cõstat hanc esse absolutam definitionem, quia tradit essentiã indicationis, uirtute cuius inuenimus iuuans, quod non modò est quid agendum, uerum etiam est recta administratio, est rectus usus materiarum iuuãtium, hoc est ut alibi intellexistis, quando, quomodo quantum & ubi: Cõstat igitur quomodo hæc definitio sit distincta à reliquis duabus definitionibus, & quomodo Galenus ad uaria respiciens nunquàm fuit deceptus, ut cum hæc sit generalis & absoluta definitio, diligenter sit sed breuiter à nobis explicanda, & ut cognoscatis quaenam debeat esse definitio Indicationis circa quam uersamur, hoc est quæ pertinet ad Methodum medẽdi ad differentiam Methodi sanandę sanitatis, hunc in modum Indicationis definitionem tradere libet.

Definitio indicationis Methodi medendi.

VT Indicatio, quę scilicet pertinet ad Methodum medẽdi sit comprehensio iu-

uantis

uantis in simul cum comprehẽsione indicantis citra experientiam, & alalogismum, gratia sanitatis deperditæ reparandæ: Declaro hanc definitionem, & iuniores hoc loco admoneãtur, hanc non esse definitionem formalem, ut licet à Galeno triplex sit proposita indicationis definitio, nulla tamen fuit formalis. Nã indicatio formaliter est instrumentum logicum, imperfectus syllogismus, unde ut instrumentum habet rationem causæ efficiẽtis, beneficio cuius consequimur inuentionem iuuantiũ, cõsequimur habitum principalem, & cum instrumenta quemadmodum etiam artes potissimum per finem distinguantur ut finis maxime pertinere uidetur ad essentiam instrumentorum, non sine arte Galenus omnes indicationis definitiones per causam finalem distribuit, quemadmodum etiam intellexistis Galenum quandoque artem curatricem seu Methodum medendi definiuisse per causam finalem, quando dixit, Curatrix est uitiosi affectus in naturalem habitũ mutatio: est definitio tradita per causam finalẽ, ad eundem modum; dum inquit Galenus, Indicatio est comprehensio iuuantis, hæc definitio traditur per causam finalem, ut quemadmodum dicere solemus demonstrationis finem esse scire per causam, siquidẽ demonstratio est instrumentum logicum, sed tradens cognitionem per causam, ut cognitio rei per

Nota.

causam

causam sit finis demonstrationis, à simili finis Indicationis, id est, huius instrumenti logici, quo utitur Medicus dogmaticus; sic inquam finis nihil aliud est quàm comprehensio, & proinde est functio pertinens non ad sensum, sed ad intellectum: est igitur Indicatio comprehensio iuuantis seu conferentis, dicatis ut uultis, siue sit quid agendum, siue usus, seu recta administratio. Notetur autem ex sen-
Ars Medic.c.9. tentia Galeni in libro artis Medicinalis capit. 89. Galenum per iuuans præsidium quandoque accipere causam salubrem, ut præsidium possimus uocare iuuans, cõferens, causam salubrem, remedium, alimẽtum, hæ omnes uoces pertinere solẽt ad quid agendũ, per usum autem semper intelligimus illa quatuor, id est, quantum, quando, quomodo, & ubi. Vt fi-
Finis internus Indicationis. nis internus Indicationis nihil aliud sit, quàm cognoscere, inuenire, comprehendere, & quid agẽdum & rectam administrationem materiei, siquidem iuniores hoc assequi debent, & memoriæ mandare, ubi exquisitè loquimur differentiam esse inter auxilia & materias auxiliorum, quemadmodum colligere li-
14.M.1 cet passim, & præsertim 14. Meth. 1. ubi ait se tradere Methodum curandarum inflammationum, non autem tradere methodum inueniendarum materierum, auxiliorum. Exempli gratia, si ratione inflammationis indicatur remedium frigidum, cuius materia sit la-
ctuca,

ctuca, versatur Galenus circa inuentionem remedij, non autem circa inuentionem materiæ lactucæ; & si quando materias proponit Galenus, proponit solùm genera exempli: sed animaduertatur ex Galeno 2. Met. 1. eundem Galenum vocibus minime addictum quandoque confundere voces, vt quandoque materias nuncupet auxilia, quemadmodum facit 2. M. 1. Sed dum exquisitè loqui est institutum, differentia maxima est inter auxilia & auxiliorum materias. Cæterum cùm indicatio sit comprehensio iuuantis insimul cũ cognitione indicãtis, per cognitioné intellectus, cum Galeno in tertia definitione tradita & cognitionem essentiæ, & cognitionem illius, quod consequitur; illud autem, quod consequitur, vt suo loco oculis conspicietis, nihil aliud est, quàm actio, passio, præsentia, & subsistentia, & hæc consequuntur essentiam indicantis. Dictum autem fuit, sine obseruatione, sine experientia & analogismo: Nam Indicatio est instrumentum satis diuersum & ab experientia & analogismo. Fuit autem necessarium addere gratia sanitatis deperditæ reparandæ, vt per hunc Indicationis finem sed externum distinguatur hæc Indicatio ab indicatione, quæ locũ habet in Methodo tuédæ sanitatis. Vnde pro exactissima huius definitionis intelligentia tria sunt intelligenda: Primùm quid intelligere oporteat per res percipiendas

2. M. 1.

cipiendas

cipiendas perceptas: Secundò quid intelligere oportet per experientiã: Tertiò quod pauci cognouerunt, quod intelligere oportet per Analogismũ, & quomodo distinguatur Analogismus; quo vtuntur Dogmatici, & quo vtuntur Methodici.

I. *Res percipiendæ perceptæ.*

QVo ad primum per res percipiẽdas perceptas intelligimus in primis rei naturam, quã ueritatem proposuit Ga-
2.M.2. lenus 2.M.2. vbi uocauit etiam quid agẽdum, quæ rei natura debet esse cognita euidens intellectui & occulta sensui. Quid autem intelligere oportet per id quod consequitur, iam patet, quia sunt illa quatuor, quantum, quando, quomodo, & vbi, sed aduertendum quæ percipiuntur non modo esse res præter naturam, sed etiam esse res secundum naturam, ut non modo sit morbus, causa, verùm etiam virtus, ut horum gratia indicatio requirat quatuor conditiones, quæ conditiones sunt fundamenta huius doctrinæ, ut mirandum non sit, si doctiores uiri has negligentes conditiones & in uenæ sectione, & in tota Methodo, fuerunt maxime hallucinati.

Prima conditio est, ut Indicans sit notum per intellectum.

Secunda conditio, ut unum non nisi unum indicet.

Tertia conditio, ut indicans ex necessitate sit præsens, non præteritum, non futurum.

Quarta & ultima conditio est, ut Indicans reperiatur in homine, in corpore, & ex hoc suo loco cognoscetis satis puerile esse à causa externa sumi indicationes, ut ab aëre, &c. sunt nugæ, puerilia. Ostendo cum Galeno has omnes conditiones. Quo ad primam dicit Galenus 1. Meth. 5. Quoniam omnis morbi curationem inuenire propositum est, necessarium est morbi naturam prius scire: quomodo tenet hæc consequentia? quoniam omnis morbi curationem inuenire propositum est, quia propositum inuenire cuiuslibet morbi curationem, ideo necessarium est prius scire morbi naturam: ecce ergo quomodo tota cognitio & curatio pendet ex cognitione naturæ, & proinde essentiæ morbi, indicantis; præterea idem Galenus 2. M. 6. dicit, tot sunt medendi rationes, quot morborum ideæ, quare ab idea, quare ab essentia capitur indicatio, præterea eodem capite, id est 2. M. 6. dicit, prima via est cognitio morbi, naturæ morbi, ad hęc 4. M. 4. dicit, opus esse ut qui Methodum assequi optat, ut habeat cognitionem similis & dissimilis, oportet cogitare essentiam indicãtis. Præterea lib. ad Thrasyb. cap. 8. dicit: Venena non pertinere ad Methodum: Venena non cognosci per Indicationes, ut ad medicum pertineat cognoscere causas & cogno-

1. M. 5. I. CONDITIO. *2. M. 6.* *4. M. 4.* *Ad Thrasyb. 8.*

ſcere eſſentiam; non eſt autem cognita eſſentia, naturaq; ueneni; Ideò cõſtitutum ſit hanc eſſe primam INDICANTIS conditionem; ut cognoſcatur ab intelligentia.

LECTIO QVINTA.

VT recte Methodũ Medendi eſſequi ualeatis cępimus explicare, quænam conditiones locum habent in indicando, & ſtatutum fuit neceſſarium eſſe, ut natura, ut eſſentia indicantis eſſet nota intellectui, ut propterea Galenus 13. M. 6. à Methodo excludat, quæ à tota ſubſtãtiá ſunt aduerſaria, propterea quod horum eſſentia non poteſt eſſe nota intellectui. Sed dubitatio eſt quæ oritur ex Galeno 2. ad Glauc. 4. vbi ait, de tumoribus dictum eſt indicatiuè, ſed nondum manifeſtè, ſi ſermo per indicationes procedit, à nota eſſentia Indicantis, cur dixit Galenus de tumorib. dictum eſt indicatiuè, ſed nondum manifeſtè, quia ſi indicatiuè, ſi per indicationes, igitur manifeſtè, dicendum ita eſſe locutum Galenum eo loco, quia fui pollicitus explicare authoritate Galeni, ita eſt intelligendus, ut dum ait, de tumoribus dictum eſſe indicatiuè, hoc eſt per indicationes, Galenum reſpicere ad quid agendum, dum autem ſubdit, nondum manifeſtè, non reſpicit ad quid agendũ, ſed ad vſum materierum, ad rectam adminiſtrationem materierum; quod ſit verum, Galenus eo in loco ſubdit præſidiorum materias.

2. Ad Glau. 4.

materias. Constitutum igitur sit, necessarium esse, ut indicantis essentia nota sit intellectui.

SECVNDA CONDITIO.

SEcunda conditio, quæ necessaria est in Indicãte, est ut vnũ Indicans non nisi vnũ indicet, vnum nequaquam plura potest indicare: Hanc veritatem proposuit Galenus 9. M. 12. Vbi habet conferentis indicatum semper esse vnum. Quoniam, inquit Galenus, vnum vnam habet tantum naturam. Vnum, admoneantur hoc loco in primis iuniores, Galen. 9. M. inquit vel esse simplex vel compositum: vt verbi gratia, febris est vnum indicans; sed morbus calidus & siccus quare duo indicat? quia est effectus compositus, quemadmodum simplex, simplicem indicationem facit. Secundo notent, vnum obtinere naturã genericã, obtinere naturam specificã, vt per naturã genericam genericũ indicetur præsidium, per specificã specificum; vt licet sit vnum, duo tamen indicet non per eandem naturam, sed per genericam vnum, per specificum aliud: sed quęlibet natura vt una vnum indicat. vnde Galenus 2. M. ca. 13. dicit unam semper dari ex quaque re indicationem, ut si unum plura indicet, id fiat per plures essẽtias, do exemplum: bilis ut copiosa indicat auxilium minuens, ut calida frigidũ, & sic de reliquis, quare unum indicans secundum unicam essentiam non nisi unum indicare potest: un-

AdThra syb.44. de idem Galenus in libello ad Thraſybulum cap. 44. dicit abſurdũ eſſe dicere idẽ diuerſa *Abſurdum.* indicare, & quia Galenus rationẽ huius ueritatis cognouit, dixit eodẽ libro ad Thraſybulum ca.40.unũ tantùm indicari quoniã unum uni tãtùm aduerſatur, ut uerbi gratia, calidũ indicat tantum frigidum quia frigidũ ſolum calido aduerſatur. Sed dubitatio eſt ex dictis Ga. lib. ad Thraſ. cap. 23. dum inquit neque vnum ſemper idem indicare: Si vnum tãtum vnũ indicat, Ergo ſemper idem indicat, quo-

Solutio. modo ergo intelligendus Gal.? Dicatis ita eſſe intelligẽdum Galenum ut vnum non ſemper idẽ indicet per plures eſſentias, quia unũ in genere, vnum per plures eſſentias plura indicare poteſt, declaratur hoc exemplo propoſito à Galeno loco citato, vt verbi gratia, vrinæ ſuppreſſio eſt vnum ſed non ſemper vnum indicat, quia ſi fiat à calculo unum indicabit, ſi à grumo ſanguinis aliud, ſi à pituita aliud: ita igitur eſt intelligendus Galenus: vt vnum non niſi vnum indicet, vnicum genus indicet vnicum præſidium genericum, vnica ſpecies indicet unicum remedium ſpecificum, quia vnum non eſt niſi vni contrarium; Ego non poſſum non maxime mirari, quomodo aliqui ſolis authoritatibus addicti, ſpreta ratione, ſpreta rei natuta aſſerunt morbum magnum, morbum vehemẽtem eſſe quid commune ad venæ ſectionem & pharmacum: Nam mor-

bus

bus vehemens eſt unum indicans,& eſt indicans curatorium, unum indicans curatorium ad differentiam morbi debilis, quia proponitur morbus magnus, hoc unum indicans curatorium ego neſcio quomodo poſſit indicare duo, hoc eſt uenæ ſectionẽ & pharmacum. Præterea in his dictis innumera ſunt abſurda, quia hæc duo ſunt præſeruatoria, illud indicans eſt curatorium, indicans unum, indicata duo.

TERTIA CONDITIO.

PRæterea eſt tertia conditio, quæ in hoc conſiſtit, ut indicans ſit præſens, nõ præteritum nõ futurum, ratio, & ni fallor demonſtratio hæc eſt, quia indicatum refertur tantum in indicans: Declaro, in intemperie frigidiori uentriculi remedium calidum, quod eſt indicatum, refertur in indicans, refertur in intemperiem uentriculi, unde Galenus 3. M. 1. ait abſurdũ eſſe aſſerere aliud eſſe quod indicat & aliud quod curatur, quod indicat, quod eſt indicãs eſt illud quod curatur, quod curatur neceſſariò eſt præſens, hoc euidẽs eſt. præterea Gal. 4. M. 3. dicit à nullo eorum, quæ adhuc non permanent, indicatio ſumitur remedij ex uſu: ex quibus Galeni dictis duo colligatis. primùm, dari indicans ex uſu & non ex uſu: Secundò Indicationẽ, quæ ſit ex uſu, tantum ſumi à præſenti, & preterea cùm nec preteritum nec futurum permanent, à nullo ho- 3. M. 1. 4. M. 3.

rum ſumi indicationem; Nam vt audiuiſtis dixit Galenus à nullo eorum quæ adhuc non permanent ſumi indicationem, præteritum non permanet, futurum quis eſt ille ignarus qui dicat permanere? quare cùm non permaneat futurum neque præteritum à nullo horum ſumitur indicatio, vnde valeant boni illi viri, qui dicunt morbum magnum indicare venæ ſectionem cum Hippocrate: quia Hipp. 4. de ratione vict. 19. ego non ſubterfugiam authoritates, dicit, ſecandá eſſe venã ſi morbus eſt vehemens, ergo à morbo vehementi indicatur venæ ſectio: Galenus in eo commentario nos admonet, inquiens per morbum vehementem opus eſſe intelligere morbum vehementem non ſolùm præſentem, ſed etiam futurum; quia Hippocrates eo in loco per morbum vehementem intellexit morbum vehementem & preſentem & futurum; ſi intelligit morbum vehementem & præſentem & futurum, igitur à morbo vehementi & præſenti, & vt cogantur infelices homines aſſerere & à futuro indicabitur venæ ſectio: venæ ſectio eſt materia auxilij remedij ex vſu, & ideò indicatio vtilis capietur etiam à futuro, futurum non permanet ideò non poteſt indicare. Statutum igitur ſit neceſſarium eſſe vt indicãs ſit preſens: Sed fortè iunior interrogabit. Quomodo eſt intelligendus Hippocrates eo in loco, quomodo

conuer-

conuertatur morbus vehemens ad venæ ſe-
ctionem? nolo hanc doctrinam confundere;
ſuo loco explicabimus, quando loquemur
de materia de cauſa morbifica indicante: Sed
admoneantur iuniores cùm indicatio ſemper
ſumatur à præſenti, euenire poſſe vt illud in-
dicans præſens quandoque efficiat morbum,
quandoq; poſſit efficere; & licet morbus non
ſit pręſens, illa tamẽ materia quę poteſt mor-
bum efficere, illa eſt præſens; quia niſi eſſet
præſens, nequaquã poſſet indicare: vt verbi
gratia eſt aliquis, qui ſingulis annis ſolet cor-
ripi pleuritide; antequã fiat pleuritis ſecatur
vena, ſecatur autẽ vena vt ſit materia remedij
indicati à ſanguine pręſenti, qui tamẽ ſanguis
pręſens non actu efficit morbũ, ſed poteſt ef-
ficere. Dubitatio eſt quia Gale. 4. M. 3. inquit, *Dubit.*
præſentis eſt curatio, futuri autem eſt proui- *4. M. 3.*
dẽtia, at indicatio ſumitur à futuro; dicatis in
his verbis Galenus in præſeruatione reſpicit
ad futurum, à quo tamen non ſumitur Indi-
catio; quia vt diximus indicatio ſumitur à
præſenti ſed vt poteſt lædere. quare Medicus
vt in curatione vt ad finẽ reſpicit ad morbum
pręſentẽ vt remoueat, & indicationẽ ſumit à
pręſenti, in pręſeruatione reſpicit ad futurum,
vt hominem pręſeruet à morbo imminenti;
ſed indicationem ſumit à præſenti, ut poteſt
morbum efficere; & poſtremò ſciatis neceſ-
ſarium eſſe, ut indicans reperiatur in corpo-

re humano, & ratio eſt, quia materia remediorum, materia iuuantiũ adminiſtratur corpori: Hãc veritatem propoſuit Ga. 4. M. 3. ubi habet nullam extrinſecam cauſam indicare, non capitur Indicatio à cauſa externa.

4. M. 3.

Dubit. Sed aliquis dubitabit. Galenus igitur loco citato inquit, ſi cauſa receſſit ab hac non ſumitur indicatio, igitur ſi non receſſit cauſa, ſed remaneat, ab hac poterit ſumi indicatio.

Solutio. dicimus nequaquam à cauſa externa à cauſa extra corpus eſſe ſumendam indicationem, licet etiã permaneat: ad Galeni autẽ authoritatem dicimus loco citato, dum ait: ſi cauſa abſceſſit, abijt, ab hac non ſumi indicationẽ, per hãc cauſam intelligere cauſam internam, cauſam in corpore exiſtentẽ; quod ſit uerum, videatis locũ, ibi enim loquitur de cauſa putredinis, de cauſa inflammationis: ſed innior replicabit, non aër alteratur, ut uerbi gratia in febri exiſtente aëre calidiori alterat aërem aqua roſacea, quæ aqua roſacea reſpicit aërẽ, adhibetur aëri non corpori, quare aqua roſacea uidetur eſſe materia remedij frigidi indicati ab aëre calido, quare ab indicante extra corpus, & apud aliquos & uiros doctos tanti fuit hæc dubitatio, ut dixerint ab aëre ſumi indicationem, quod falſiſſimum eſt, in præſentia igitur dicimus hoc eſſe uerum in febre exiſtente aëre calidiori, aqua roſacea refrigerari aërem, ſed hoc negocium nõ pertinet ad

Metho-

Methodum medendi, ſed hoc negocium eſt extra Methodum. Pręterea quod nos agemus materia frigida, quæ eſt aër, aër refrigeratus ab aqua roſacea, pertinet ad materiam, materia extra Methodum.

LECTIO SEXTA.

De Experientia.

CVm ſint explicatæ Indicantis conditiones, modò quod ſecundo loco explicandum fuit præſtabimus.

Erat autē declarare quid intelligere oportet per experientiam ut pateret, quomodo Indicatio diſtinguitur ab Experientia ex ſententia Galeni in lib. ad Traſybulum 2. Experiētiæ ſeu obſeruationis cognitio pertinet potius ad ſenſum: verbi gratia. Comprehendimus cognitione Socratem eſſe affectum pleuritide, quoniam in Socrate obſeruamus ſymptomata quæ conſpeximus in pleriſq;: ut verbi gratia, dolor pungitiuus tuſſis & reliqua, quemadmodum etiam prodentium ſtupore, vtimur portulaca, quoniam vt empirici obſeruauimus, dum homines eſſent ſtupore affecti secundū dētes, portulaca adimi, vt merito cōcludat Galenus in cap. 2. experientiam eſſe comprehenſionem eius, quod ſæpe & eodem modo viſum eſt, vt hinc facile pateat Indicationem maxime diſtingui ab Experientia.

III. ANALOGISMVS.

De Analogiſmo.

QVare accedentes ad tertium propoſitum & difficilius uideamus quidnam ſit Analogiſmus, ut pariter pateat Indicationẽ eſſe inſtrumentum diuerſum ab Analogiſmo: Ex Ga. igitur ad Thraſy.2. Analogiſmus eſt comprehenſio iuuãtis per ſimilitudinem. Analogiſmus non eſt comprehenſio iuuãtis ex natura Indicantis, ſed eſt comprehenſio iuuãtis per ſimilitudinẽ. Quare fit hæc comprehenſio potius per ſimilitudinẽ, quàm ex natura Indicantis. Ratio colligitur ex Galeni loco citato, quia cauſa eſt recõdita, quia rei natura latet, ad differentiã Indicationis: in Indicatione mentio fit iuuantis ex cognita natura Indicantis, quandoq; latet, ut non poſſit locum habere indicatio; unde cùm non habet locum experientia, obſeruantia cõfugiendum ad Analogiſmum, quia cum oportet inuenire iuuans, nõ licet per indicationem, non licet per obſeruationẽ, expedit confugere ad Analogiſmum. Sed contrà Gal. lib. de ſubfiguratione Empirica cap.2. uoluit in Analogiſmo inueniri iuuans, per tranſitũ de ſimili ad ſimile. Quid intelligere opportet per tranſitũ, per ſimilitudinem de ſimili ad ſimile? intelligere oportet hìc ſimilitudinẽ cum Gal. locis citatis vel in mẽbris, vel in affectib. vel in materijs. Declaro propter iuniores, in membris, verbi gratia, vt ſi cõferamus manũ cũ pede in affe-

Ad Thraſyb.2.

ctibus,

ctibus, si conferamus fluxũ sangninis narium cum fluxu alui ; In materijs si cõferamus mespilum cum cydonio : sed animaduertendum in præsentia transitum esse faciendum à simili ad simile, vel in membris, vel in affectib. nõ autem in materijs; quia materiæ non pertinẽt ad Meth. curatricem, ad iuuantia, ad inuentionẽ iuuantiũ, sed ad librũ de Medicamẽtis, de alimentis. Cęterum cum Analogismus sit instrumentum & Empiricorum & Dogmaticorum, rectè intelligere oportet quomodo inuicem differant Analogismus Empiricorum, ab Analogismo Dogmaticorum. Principale propositum hoc est, quomodo Analogismus dogmaticorum distinguatur ab Indicatione.

Analogismus Empiricorum & Dogmaticorum.

GAlenus ad Thras. 18. dicit, Analogismũ esse perceptionem, comprehensionem iuuantium per similitudinem, ea tamen conditione seruata ab Empiricis, vt confuso quodam modo concursum symptomatum obseruent; namque Empirici nesciunt distinguere vtilia symptomata ab inutilibus. Declaro cum Galeno loco citato; datur symptoma causæ, symptoma loci affecti, symptoma facultatis, symptoma patientis. Declaro magis; Symptoma quod significat causam esse mineram non vaporem: Datur Symptoma lotij, vt verbi gratia, difficilis spiratio signifi- *Ad Thra syb. 18.*

cat thoracem esse læsum: Datur symptoma facultatis, vt verbi gratia, animi defectus ut hoc symptoma virtutem, facultatem debilem significet.

Datur postremò symptoma patientis, vt dum Socrates conuellitur, patitur conuulsionem vel æqualiter, ut in tetano, vel inæqualiter, vt in opistotano in emprostotano, nolo has voces explicare: cum igitur sint hæc symptomata, empirici nesciunt distinguere, vtilia ab inutilibus, at Rationalis scit distinguere, & cognoscis quandoq; licèt sit dissimilis concursus symptomatũ eandem conuenire curationẽ, vt verbi gratia in tetano, in emprostotano, in opistotano sunt diuersa symptomata, est tamen eadẽ curatio ac conuenit, quia symptomata patientis sunt inutilia, contrà quandoq; est similitudo in concursu symptomatũ, curatio tamen est diuersa, in sputo sanguinis ex fractura, apertione & erosione potest esse similis tussis sanguinis eodẽ modo se habens, ecce est similis concursus symptomatum, at diuersa est curatio, quia alia est adhibẽda cura in fractura, alia in apertione, alia in erosione; & hoc non cognoscunt Empirici, sed Rationales, qui in Analogismo faciunt trãsitum à simili ad simile distinguẽdo inutilia ab vtilibus, & hoc est necessarium, siquidem ex Galeno ad Thrasybulum capit. decimonono, vtilia symptomata manifestant propositũ vtile indi-

Ad Thrasyb. 19.

le indicans, hoc eſt, vtilia ſymptomata ſunt ſigna non indicantia, ſed ſigna dico manifeſtantia propoſitum indicans utile; hoc Indicans triplex eſt, materia, locus, & facultas, vt loco citato Galenus excludat ſymptoma patientis, quia ſymptoma patientis eſt ſymptoma, quod non ſignificat indicans, ad differentiam ſymptomatum vtilium, quæ ſymptomata ſunt ſymptomata cauſæ, loci & facultatis, hæc ſunt ſymptomata vtilia, quia ſignificant indicans, quod triplex eſt, cauſa, locus, & facultas. Sed admoneantur iuniores ut intelligant authoritates ſatis difficiles, vt ego ignorem à quo recte intelligantur; Ergo Galenus loco citato ad Thraſybu. 19. cũ tria ſint propoſita, hoc eſt cauſa, locus, & facultas, addit à cauſa indicari auxilij genus, à loco indicari vtendi modum, à facultate menſuram. Quid voluit per hæc Galenus intelligere? dicam quod ſentio, vos poſtea iudicate, licèt hæc veritas à nobis modò proponenda in progreſſu huius doctrinæ magis atque magis conſpicua euadet. Dico igitur à cauſa indicari genus auxilij, hoc eſt genericum auxilium, hoc eſt, quid agẽdum genericum: ut verbi gratia, ſi eſt materia morbifica, indicat præſidiũ genericum, indicat ſui remotionem, à cauſa igitur indicatur genericum præſidium. Cum verò addit à loco indicari vtendi modum, non explicatis Hebraicè, vt uerba ſonant, quia lo- *Ad Thraſyb. 19.*

cus non

cus non poteſt indicare modum agendi: per modum igitur vtendi licet intelligere quid agendum ſpecificum, vt locus non indicet, ſed per viā ſigni ſignificet determinatū peccatum, à quo determinato peccato poſtea indicatur quid agendum ſpecificum. Declaro: verbi gratia, bilis indicat auxilium remouens bilem, quod eſt genericum. Si bilis, verbi gratia, efficiat veſicam, veſicæ locus affectus nobis ſignificat bilem lędere veſicam; vnde hęc lęſio determinata bilis, hoc peccatum determinatum, indicabit remedium vacuās bilem, ſed determinatum hoc eſt diureticum, vt clariſſime intelligetis, quādo loquemur de materia, de cauſa indicāte. Locus igitur affectus cum Galeno hoc in loco confert ad inuentionem modi vtendi ſpecifici remedij, vt ſignificat determinatum peccatum, cauſam determinati peccati ac ſpecifici. Propterea à facultate indicatur menſura; non credatis facultatem indicare quantum agendum, quia hoc falſum eſt; quia hoc loco Galenus per facultatem intelligit facultatem vel permittētem, uel prohibentem: vt dum Rationalis cognoſcit vim facultatis, virtutis, cognoſcat etiam menſuram, hoc eſt, cognoſcat quomodo permittat, quomodo perhibeat, quod indicatur à
Dubit. cauſa. Sed dubitabit iunior cum in Analogiſmo cognoſcuntur ſymptomata cauſæ, loci & facultatis, id eſt, ſymptomata vtilia, cognoſ-

cantur

gantur etiam in Indicatione, quæ differentia erit inter Indicationem & Analogiſmum. Dogmaticus ex cognitione cauſæ & reliquorum, loci & facultatis, deuenit in cognitionē iuuantis, hoc pertinet ad Dogmaticum, & in Indicatione & in Analogiſmo; & augetur dubitatio, quia Galenus ad Thraſybulum 2. dicit, tranſitum eſſe à ſimili ad ſimile in empiricis, vt reſpiciūt ſenſata. Si Rationalis in Analogiſmo procedit à cauſa rei Indicantis, ego neſcio quomodo diſtinguitur Analogiſmus ab Indicatione. Galenus naturam rei in Analogiſmo proponit, vt diſtinguat Analogiſmum Dogmaticorum ab Analogiſmo Empiricorum: dicendum Dogmaticum diſtinguere Analogiſmum ab Indicatione. Nam in Analogiſmo fit tranſitus à ſimili noto rationi, intellectui, non ſenſui, ad differentiam Empiricorum, ſed dum in Analogiſmo fit tranſitus à ſimili intellectui noto, fit poſtea tranſitus ad ſimile, quod ſimile non eſt notum, ſiue ratiocinio ſiue diſcurſu. Nam hoc non eſt notum ita intellectui quemadmodum in indicatione recte intelligatis. In Analogiſmo bis proponitur ſimile, quorum alterum eſt ratione notum, illud prius ſed illud poſterius quod indicatur eſt notum per ſimilitudinem, per ratiocinium ad differentiam indicationis. *Solutio.*

LECTIO

LECTIO SEPTIMA.

DIFFICVLTAS fuit propoſita circa Analogiſmum, quõ diſtinguitur ab Indicatione: Cùm ex Galeno etiam Analogiſmus proueniat ex rei natura, dicimus, quemadmodum aliqua ex parte dictum fuit, cùm Analogiſmus ſit tranſitus de ſimili ad ſimile, illud prius ſimile eſt ſecuudum eſſentiam, ſecundum naturam notum, aliud autem ſimile, à quo poſtea inuenitur iuuans, hoc ſimile non eſt ſecũdum eſſentiam notum, ſed ſolum per illud primum in Analogiſmo, id quod iuuenit iuuans non eſſe ſecundum naturam notum, ſed per ſimilitudinem, ex qua fit notio ſigni, vt in Indicatione id quod indicat iuuans, hoc eſt, natura notum ad differentiam Analogiſmi. Conſtat igitur, ſicut indicatio eſt comprehenſio iuuantium cum cognitione Indicantis citra experientiam, & Analogiſmum. Poſtremò in Definitione dictum fuit, gratia ſanitatis deperditæ reparandæ, vt Galeni inſtitutum diſtinguitur ab indicatione, qua vtitur medicus in arte tuendæ ſanitatis. Hæc differentia vt de eſſentia Indicationis. Ideo diuiſio capi debet à propoſitis in definitione, quare à comprehenſione, ab indicante, ſeu iuuãte. In principio ab Indicante. Quò ad primum vt
6.M.1. Indicatio eſt comprehenſio; eſt comprehẽſio, vel generica, vel ſpecifica. Hęc Diuiſio colligitur ex Gal. 6. Meth. 1. ubi dicit, Indicationum

cauſam

causam desumi ab effectibus, à partibus autẽ, hoc est à partibus effectis, desumi aliã & alias indicationes: ecce proponit communem indicationem, quare genericam; dũ proponit aliã & alias indicationes, insinuat determinatas, specificas Indicationes. Sed iunior quæret, quid voluit Galenus, quando dicit causam indicationis sumi ab effectu, à morbo, aliam autẽ & alias, hoc est specificas desumi à partibus affectis? Iunior ita querens pro nunc quiescat, quia suo loco vbi loquimur de Indicantibus, hæc veritas confirmatur, & quilibet cognoscere potest, cum Galenus docuerit genericam indicationem desumi ab effectu, specificas à partibus affectis, vt sit in præsentia cognoscere dari indicationem & genericam, & specificam: proinde hæc eadem veritas confirmatur cum Galeno 2. Metho. 6. & 7. 8. Methodi primo, & videatis illud caput, nũquam dicit à primis febrium differentijs esse incipiendum, cum ab his sumantur indicationes, verum non esse desumendas indicationes à particularibus, & dãtur indicationes genericæ, & dãtur specificæ. Dubitabit fortassis aliquis ex Galeni 10. Metho. secundo, vbi dicit, cum inuenti sunt generaliter modi, transeundũ ad præsidia specifica, & particularia. Galenus non modo proponit presidia generica, non modo specifica, sed etiam indiuidua, particularia. Sed Methodus cum sit habitus potentialis, *Dubit.* 10. *M.* 2

tentialis, habitus intellectus, cùm descendis ad particularia, hoc pertinere ad exercitatione; & ideo dicetis, Galenum proponere presidia generica, communia, deinde specifica, postremò particularia, nõ propterea significans dari indicationes indiuiduales, sed vt significaret hæc præsidia generica ac specifica esse applicanda particularibus, ita intelligatis;
1.M.2. Vnde Galenus 1. Method. 2. dicat, opus esse intelligere specificas, quia non licet desumere infra specificas, modò specifica sint, quæ nõ admittant diuisionem, præterea quòd illico inueniuntur materiæ: verbi gratia, dum ego cognosco morbum esse calidum, vt dico, & descendo ad hoc determinatum, ad hoc specificum, statim habeo esse inueniendam materiam: vt licet verbi gratia vti lactuca, ecce non deprehendimus applicandas, dum inue-
3.M.3. nitur materia. Præterea Galenus 3. Method. tertio, dicit duas esse Indicationes proximas intelligẽs genericas, quia vt audiuistis in Metho. hęc seruanda est via, vt progrediamur ab eo, quod est primum, ad secũdum & tertium. Et si primum verbi gratia est generale, igitur genus. Quo igitur, vt intelligatis authoritates, dictum est, sunt indicationes duæ primæ, primæ statim sunt generales; vna spectat ad res præter naturam, alia ad res secundum naturam, vt duplicatũ sit quod indicat generica. Galenus tantùm versatur circa res secundum

naturam,

naturam, & circa res præter naturam, vnde obiter hæc colligatis. Cognoſcatis hanc doctrinam eſſe veram, quia ſeparatim conſentiunt cum dictis cum præcedentibus. Recte dixit Galenus, duas eſſe tantum genericas indicationes, quia deſumuntur tantum à rebus præter naturam, & ſecundum naturam, nequaquam à non naturalib. Sed ad rem datur generica, datur materia ſpecifica, & ob id 1. M. quinto voluit indicationem genericam indicare contrarium, Indicationem ſpecificam indicare contrarium determinatum, ſed hoc loco admoneantur iuniores, Galenum 2. Me. 12. admonere, ſe non proponere contrarietatem ita vt potius ſit oppoſitio. Sed voluit cum Platone, poſſe etiam medicum quandoque abuti vocibus, & ideo appelletis oppoſitionem. Cõſtitutum igitur ſit dari indicationem genericam, dari ſpecificam; & quo ad genericam, poteſt eſſe generaliſſima, poteſt eſſe prima, poteſt eſſe ſecũda, & licet eam nominem ſubalternam, vt videtur hic indicatio generica ſubalterna & ſpecifica, differentiã eſſe inter has indicationes, vt generica neque artificioſa, neq; vtilis, ſubalterna vtilis eſſe poſſit, non ex neceſſitate, ſed nõ artificioſa. Sed ſpecifica & vtilis eſt & artificioſa, quę veritas nõ ita facile colligi poteſt ex Galeno, & ideo à nobis explicanda, & præſertim quia neſcio à quo hactenus hęc veritas fuerit explicata. In

Differũt prçter naturam, et non naturalia.

1. *M*. 5.

2. *M*. 12

primis autem ſcire oportet, quid modo colligere expediat per Indicationẽ vtilem & inutilem, artificioſam & non artificioſam.

De indicatione vtili, artificioſa, inutili, inartificioſa.

I. Invtilis Indicatio.

QVo ad primum per inutilem indicationem intelligimus indicationem quæ indicat præſidium cuius eſſentia eſt materia, quare vtilis indicatio erit quæ indicat præſidium cuius reperitur materia. De claro exemplo propoſito à Galeno arte Medicinali ca. 4. vbi proponit ophthalmiam quæ ſit ſecundum materiam, quo ad obſtructionem obſtructio, indicatur auxilium aperiens cuius non reperitur materia, & ideo etiam indicatio inutilis, dum autem fit à materia, ſi materia craſſa, hæc materia craſſa indicat attenuandum, cuius præſidij reperitur materia, vt verbi gratia, agrimonia quæ habet vim attenuandi. Cõſtat igitur quid intelligere oportet per indicationem & vtilem & inutilem, vt quotieſcunq; eſt indicatum quod non habet permanentiam niſi momentaneam, cuiuſmodi eſt obſtructio, dicatis hãc indicationem eſſe inutilẽ. Et vos cogitetis, & ſi obſtructio non ſit morbus affectus pro genere generaliſſimo: ſed potius pro genere ſubalterno, fiet vt indicatio non modò generica ſed etiam ſubalter-

na, sit inutilis, nequaquam specifica. Præterea quod semper reperitur materia.

II. INDICATIO ARTIFICIOSA, Inartificiosa.

QVo verò attinet ad indicationem vt est vel artificiosa, vel non artificiosa: per artificiosam intelligere oportet, quę non est vulgo communis, vnde dicit Galenus 6.M.2. Scire quid scire oportet magna res nõ est, sed quibus rationibus illud efficiendum scire artificiosum est. vt Indicatio specifica non modo est vtilis, sed etiam est artificiosa: Generica inutilis & inartificiosa. verbi gratia, febris vt pręter naturã indicat remouens, cuius non reperitur materia, quare est inutilis indicatio, est etiam inartificiosa, præterea quod etiam vulgo patet: & ob id idem Galenus 3. Meth. 1. dicit, Indicationem, à morbo acceptam esse tantum principiũ & carcerem, unde medendi methodus proueniat, ut magna sit prorsus artis portio. Sed dubito, quod generica Indicatio contineatur in Methodo medendi, quia instituitur à generica Indicatione, quia pars artis, ergo continetur in arte si methodus est ars, & in methodo progredi oportet à genere ad speciem, à primo ad secundum, nõ modo licet derelinquere primũ, ergo pertinet ad artem, ergo indicatio generica artificiosa est, quia clauditur in Methodo, ideo dicatis indicationẽ posse accipi du-

Flochius *Dubit.* *Solutio.*

pliciter, Altero modo posse dupliciter altero modo, quia communis plebi uel nō communis uulgariter, secundum hanc rationem potest esse non artificiosa, ut generica, potest esse, ut artificiosa ut specifica, si modo capiatur ut est necessaria ad presidium. Secundū hanc autem rationem est artificiosa, & ideò cum Galeno 3. Meth. 1. dicit in Methodo quanuis est uia à genere ad species, quare indicatio generica uno modo dici potest inartificiosa, alio modo artificiosa. Subalterna autem quãdoque est inutilis ut obstructio, quandoque utilis ut febris ut est morbus calidus, quia indicat frigidum cuius reperitur materia subalterna. Preterea potest esse inartificiosa, quia eius comprehensio potest esse etiam brutis communis: uerbi gratia, bruta dum sentiunt incendiū sese in frigidis emergunt. Est autem artificiosa, ut est uia à subalterna ad specificam: tandem specifica utilis est, quia reperitur materia: uerbi gratia. Si est febris calida ut unum, indicat frigidū ut unum, cuius materia: uerbi gratia est endiuia. Specifica igitur utilis quæ etiam est artificiosa, est artificiosa, quia pertinet solum ad artificem, unde Gale-
3. M. 1. nus 3. M. 1. ait, cui facultas est inuenire illa quibus perfici poterit, quoad primum hoc genericum ab indicatione suggeritur, & hoc fit
Dogmaticus. indicatione & Methodo, hoc est, uia à genere ad speciē, hic inquit Galen. Dogmaticus est.

LE-

LECTIO OCTAVA.

DIfficile eſt cognoſcere, quonam modo ſpecifica indicatio ſit magis artificioſa quàm ſubalterna, quàm generica. Conuenit autem omnes indicationes ut ſint artificioſæ, quia progredimur ab una indicatione ad aliã ad genericam ad ſpecificam, ut cum hæc uia pertinet ad artem, ad Methodum, omnis Indicatio ſecundum hanc rationem fit artificioſa. Sed quoniam ſpecifica eſt magis artificioſa, dum verbi gratia aſſerimus febris eſt quid pręter naturam, indicat ſui remotionem, dum deſcendimus ad ſubalternam indicationem, & dicimus febris eſt morbus calidus, oritur Indicatio refrigerandi, oritur indicatio in uirtute contrarietatis, quatenus eſt morbus calidus. Ergo nõ cognoſco maiorem artẽ, maius artificiũ in hac indicatione ſubalterna, quam in generica; eadem uidetur eſſe ratio, ſi deſcendimus ad ſpecificam, eſt morbus calidus ut duo, ergo oritur Indicatio refrigerandi ut duo, modò pẽdet in contrarietate ſed in contrarietate determinata, ergo contrarium determinatum quoniam calidum ut duo, quare eſt eadem ars idem artificium in generica, in ſubalterna, & in ſpecifica.

Sed forte aliquis reſpondebit, inquiens artificium locum habere potius in indicatione, quę indicat uſum quæ oſtendit rectam adminiſtrationem quam in indicatione quæ indi-

cat quid agendũ. Hæc ratio potius nulla est, modo uerbi gratia consideramus quantum agendum, uolo scire quæ dosis Rhabarbari sit administranda, hoc habeo ex actione materiæ biliosæ, si uerbi gratia biliosa materia actio sit summa, igitur summa dosis est exhibenda rhabarbari, unde neque in hac indicatione est ars. Recte intelligatis, dico non esse artem, sapientiam in Indicatione generica. Ergo ni decipior ita dicendum, dictum fuisse specificam indicationem esse minus artificiosam, quemadmodum esset etiam indicatio quæ indicat agendum quæ indicat rectam administrationem est magis artificiosa, sed hoc artificium non consistit in progressu ab indicatione ex indicante ad indicatum, nequaquã quia intellexistis, simile est artificium in qualibet indicatione, siue sit generica siue specifica, Artificiũ ipsum in hoc potissimum est, ut medicus cognoscat naturam indicantis, Cognoscere autem indicans secundum essentiam genericam facile est, sed cognoscere secundum essentiam specificam hoc opus hic labor est. Ad eundem modum cognoscere indicata, rectam administrationem, hoc omne sat difficile est, ut opus sit magno artificio, ut ad medicum dogmaticum ad uerũ artificem pertineat ut sit supra modum uersatus in parte Physiologica, in Pathologica, in parte de signis, ut merito hæ partes referantur in Me-

thodum

thodum medendi, in artem quæ per Indicationes comparatur.

Hæc dicta sint de diuisione Indicationis.

DIVISIO INDICANTIS.

QVantum ad diuisionem Indicantis, Indicatum duplex est: hoc est quid agendum & usus, quia in indicante duo perpendimus, hoc est essentiam & id quod cõsequitur essentiam. Quid agendum potest esse genericum, potest esse subalternum, potest etiam esse specificum, Genericum uerbi gratia in febri remouens subalternum in febri frigidum specificum, uerbi gratia in febri frigidum, ut duo, in primo, & hanc ueritatem proposuit Gal. 3. M. 3. ibi namque euidenter proponit indicatum genericũ, & specificum, vnde respiciens eo in loco ad Indicatum specificum, inquit, neque dici, neque scribi, neq; mẽte accuratè percipi posse. Est autem, ut inquit, ibi Galenus, in qualibet re quantitas, subintelligatis agendum, quid specificũ, & nihil aliud est quam agendum determinatum, quam gradus determinatus: quare admodum difficile inuenire, unde subdit ibi Galenus ubi mensura ex copia & defectu colligitur, intelligit caput an magis uel minus siccandum, unde ego desideraui, ut isti qui per qualitatem semper intelligunt quantum agendum hanc authoritatem explicarent. Mensura quantitas in hoc consistit ut siccemus, at magis uel minus sic- 3. M. 3.

candum est sermo de gradu siccitatis. Est sermo de siccitate uel magis uel minus intensa, id est, quid agendum, non modo quantitas, & declaro propter iuniores, si uerbi gratia, in febri ego uolo scire, an sit corpus refrigerandū, uel ut unum, uel ut duo, uel magis, uel minus, hoc est quid agendum. Præterea quod sumitur à gradu caliditatis, dum postea ego cognosco, opus esse frigidum, ut duo, & in libro de Medicamentis; inuenio lactucam, dum in lactuca uolo cognoscere dosin, quātitatem, hoc pertinet ad quantum agendum. Statutum igitur sit Indicatum, ut distinguitur ab usu, esse uel genericum uel specificum, cum spectat ad usum, uel rectam administrationem.

VSVS QVADRVPLEX.

HIc usus est quadruplex, ut in Methodo nil aliud sit perpendendum, ut uos cognoscatis hanc Methodum esse breuissimam, sumus breuissimi. Vsus est quadruplex, hoc est, Quantum, Quando, Quomodo, & Vbi. Huius numeri hæc est inuentio, & necessitas, quæ si uobis nō placebit, aliam inuenire licet. Verissima namque est & à Galeno passim colliguntur hęc quatuor. Quoniam huius numeri recta administratio pendet non ex essentia indicantis, sed ab eo quod consequitur essentiam indicantis, & hoc quod consequitur essentiam Indicantis sit quadruplex, igitur & usus quadruplex, namque quotuplex est indi-

cans, totuplex etiam est indicatum, quod igitur cõsequitur essentiam indicantis, est actio, passio, pręsentia & subsistentia, propter iuniores libet dare exemplum : In bile si feruidior fuerit huius bilis, consimilis erit actio, si bilis fuerit crassa, difficilis erit passio; si appareat bilis in corpore, est præsens, quia nõ præterijt, non est generanda, sed iam est genita, est pręsens. Prętcrea si bilis excitet Erisipelatem in brachio, subsistit ad subsistentiam in brachio. Ecce igitur quemadmodum quatuor sunt quę pertinent ad id quod consequitur essentiam Indicantis.

LECTIO NONA.

DIctum fuit, rectam administrationẽ materierum iuuãtium quadruplicem esse, pręterea etiam quatuor sunt quæ consequuntur essentiam indicantis. Est uel actio uel passio, uel pręsentia, uel subsistentia, quomodo quatuor hęc? potest esse ratio: namque dum perpendimus essentiam hanc solemus conferre, uel cum qualitate, uel cum quantitate, ut hęc absoluta non sint perpendenda, propter quod id quod agit siue sit nocens siue iuuans, non sine medio agere solet, hinc fit, ut si essentia Indicantis cõiungatur cum qualitate, uim habet agendi, unde prodit actio, & quemadmodum id quod agit, etiam repatitur, hinc etiam fit ut locum habeat passio, ut passio cõsequatur essentiam. Si autem coniungatur cũ

quan-

quantitate, iam ad quantitatem pertinet tempus, pertinet locus, pertinet ubi, ut meritò tẽporis locum habeat pręsentia, meritò loci, meritò ubi subsistentia. Constat ergo quomodo hęc Indicata 4. sunt.

DVBITATIO.

SEd dubitatio quæ originem ducit ex Hippocrate in libro de officina Medic. tit. 6. ubicunque proponit ægrotantem, assidentes ministros, machinamenta, lumen, ubi, quãdo, quomodo, quantum, quibus repetit quomodo, quando, corpus, instrumenta, tempus, modum, & locum. Ecce igitur quemadmodum Hippocrates non proponit tantum quatuor, sed multò plura. Facile est huic dubitationi satisfacere, namque Hippocrates plura proponit, quia non solum respicit ad solam administrationem materierum, sed etiam ad illa quę spectant ad ęgrotantem, ad medicum, ad ministrum, quo fit ut quomodo non semel, sed iterum atque iterum proponatur, nos autem in præsentia uersamur circa Methodum medendi, ad quam Methodum tantum pertinet per indicationes inuenire iuuantia, hoc est, quid agendum, & rectam administrationem.

Dubit.

DIVISIO INDICANTIS.

QVantum ad Diuisionem Indicantis, quę est pręcipua pars huius artis, uirtute cuius hęc Methodus intelligitur, & ex huius ignoratione uiri doctissimi maxime

fuere

fuere decepti. Indicantis igitur diuiſio ſumitur ab ipſo fine, & indicans conſtituitur per finem. Finis autem eſt duplex, alter communis, alter non communis, ſed potius determinatus. Finis cõmunis vt dictum in definitione, & dicit etiam Galenus libro ad Thraſybulum 5. eſt deperditæ ſanitatis reparatio, per quem finem diſtinguitur Methodus medendi ab arte tuendę ſanitatis, vt per hunc finem conſtituatur Indicans, quod vocatur Curatorium, vt ratione finis cõmunis in Methodo medendi omne Indicans ſit & dicatur curatorium, ſiue capiatur à morbo, ſiue à cauſa, ſiue à virtute, quomodocunque ratione finis communis. *Indicans Curatorium.*

Quo verò ad finem determinatum duplex eſt, & loquor nunc de fine in Methodo medendi, in qua ſicuti finis communis eſt reparatio deperditæ ſanitatis, & vnicus eſt finis, ita finis non communis duplex eſt, alter eſt remotio rerum præter naturam, reliquus autem eſt cuſtodia rerum ſecundum naturam. Hanc veritatem cognoſcens Galenus 1. ad Glauc. 1. aſſerit illum optimũ eſſe medicum, vt quantum permittitur humani viribus non poſſit errare, qui omnia & ſecundum naturam & præter naturam ad Methodum reducit: cum igitur ſit duplex finis, vt alter ſit remotior rerum præter naturã, reliquus rerum ſecundum naturam. Quantum attinet ad re-

motiorem rerum præter naturam, hic ſubdiuiditur, quoniã id quod eſt præter naturam, vel eſt morbus, vel eſt cauſa, nihil aliud, admoneantur iuniores nos poſtponere ſymptomata, licet ſint præter naturam, quoniam, ut ſuo loco cognoſcetis, ſymptomata nequaquã indicant, niſi ut habent rationem cauſæ, cum igitur id quod eſt præter naturam ſit duplex, hoc eſt, morbus & cauſa: Hinc oritur duplex finis determinatus, alter eſt remotio morbi, reliquus remotio cauſæ, quo fit vt morbus ſit indicans curatorium, ut morbus ſibi uendicet nomen communis indicantis, unde dicitur indicans curatorium. Cauſa autem ratione cuius indicatur remotio cauſæ, cauſa inquam eſt indicans curatorium, in arte tamen curandi, cauſa poteſt uocari indicans curatorium, ratione finis communis, at ratione finis determinati eſt indicans præſeruatiuum. eſt autem aliud indicans ab indicante præſeruatorio in tuenda ſanitate, quia in arte tuendæ ſanitatis finis conſeruatio ſanitatis. Nam Sophiſtæ confundunt finem commnnem cum determinato, ratione rerum ſecundum naturam, ratione alterins finis, quia erat cuſtodia rerum ſecundum naturam. Hic finis non ſubdiuiditur, quemadmodum remotio rerũ prę-ter naturam, quia cum natura patiatur diuiſionem, ratione huius conſtituit indicans uitale, quod ita etiam nuncupauit Galenus 9. 9.M.13
Method.

Method.13.ut propterea, dicãt alij quicquid uelint, Methodus medendi breuissima sit, ut contineat tria tantum indicantia, non plura, non pauciora. Cum Galenus 10.Meth.2. uoluit tria tantum locum habere in putridis febribus. Et si tantum tria locum habent in putridis febrib. igitur impossibile est plura quàm tria imaginari, quoniam putrida febris non est morbus sine causa, ad differentiam ethicę febris, præterea putrida febris uires solet prosternere ad differentiam Ephemeræ, & ob id dictum est ab eodem Galeno 10. M.1. in putridis febribus indicationes sumi à febribus, à causa & à ui naturali, ut febris sit indicans curatorium, causa præseruatorium, uis naturalis uitale. Sed forte iuuenis dixerit, dixisse Galenum 2.Methodi in fine, opus esse in corpore ægrotante perpendere affectum, actiones, passiones, quæ sunt secundum naturam, quæ præter naturam, ut ab omnibus sumantur indicationes. Dicatis licet, hęc sunt plura, omnia tamen reduci ad illa tria, ad morbum, ad causam, & ad uirtutem. Vnde fuit Galeni sententia libro artis Medicinalis cap. 89. intemperiem indicare solam alterationem, nam causa per euacuationem tollitur, significans ab intemperie, à morbo sumi tantum indicationem curatiuam: ut si intemperies habeat coniunctam materiam, hæc sit causa, quæ indicat curationem, & proinde sit indicãs præ-

10.M.2

10.M.1

Dubit.

2.Meth. in fi.

Solutio.

seruatorium. Sed forte aliquis dicere posset
Dubit. ex Galeno 3. Method. 3. ubi ait, ulceris & ca-
3. M. 3. uitatis curationem non perfici eadẽ Metho-
do quæ capitur à loco effecto, & à facultate
medicamentorum. Indicatio capitur à loco
affecto, & à facultate medicamentorum, igi-
tur non tãtum à morbo, causa, & uirtute, quia
3. M. 3. 3. M. 3. uoluit Galenus in ulcere cauo, indica-
tionem sumi à loco affecto, & à facultate me-
Solutio. dicamentorum. Non dicatis indicationem
sumi à re præter naturam, & ratione ulceris
& ratione cauitatis, sed perpetuo indicatio
sumitur ab essentia Indicantis. Sermo fit de
quid agendum, & ego ostendã suo loco, qua-
re dum proponit locum affectum, dũ propo-
nit facultatem medicamentorum, nõ propo-
nit ut hæc indicantia, sed in ratione signi, ut
uerbi gratia, locus affectus indicat gradum
3. M. 14 morbi, ut declarabo cum explicabo; Galen. 9.
M. 14. similiter dum proponit facultatem me-
dicamentorum, proponit ut signa, non ut in-
dicantia, quis est ille qui asserat indicata sumi
à facultate medicamentorum? propterea ac-
cipit facultatem medicamentorum in ratio-
ne signi, quemadmodum quandoque dixit
Hippocrates, morbum indicari à curatione,
& ideo curatio, hoc est, facultas medicamen-
torum nobis ostendit morbum, nobis signifi-
cat essentiam Indicantis.

LE-

LECTIO DECIMA.

CVm dictum fuerit indicantia esse tantũ tria, ut sit indicans curatorium, præseruatorium, & uitale: ut hanc ueritatem apertã haberetis, cępimus dubitare circa indicationẽ curatiuam. Aliquæ dubitationes fuere propositæ & solutę, aliquę sunt proponendę. Dubitatio igitur est quæ colligitur ex Gal. 3. M. 7. ubi ait, in curatione esse tria perpendenda, ægrotantis naturam, hominis propriam curationem, & naturæ proprietatem ineffabilem, hęc sunt uerba formalia Galeni, ut indicatio curatiua ex Galeni loco citato uideatur desumi à natura ęgrotantis, à propria hominis curatione & à naturę ꝓprietate ineffabili: quomodo ergo indicatio curatiua sumitur tantũ à morbo, quoniam morbus tantum est indicans contrarium. Dicendum iuuans subalternans, seu genericum sumi à natura ęgri, ut à natura ęgrotantis, ut temperies ęgrotantis nobis significet naturam morbi, ut uerbi gratia, in febre si ęgri natura est frigida, est signum uehementis febris: uerbi gratia, in sene febris ardens est uehementior, febris ardens est cum maiori recessu in corpore frigido quã calido. Dum Galenus proponit hominis propriam curationem, insinuauit quid agendum specificũ, ut quia nos cognoscimus hominem non modo esse calidũ, sed esse calidum in primo, tunc

3. M. 7.

hæc

hęc caliditas in primo, hæc propria hominis temperatura nobis significat determinatum gradum, recessum determinatum febris, à quo determinato recessu, gradu, tanquam ab indicante curatorio indicatur quid agendũ specificum. Dum denique Galenus proponit proprietatem ineffabilem, ego uellem ut isti interpretarentur has authoritates Galeni, ut iuniores cognoscerent ueritatem, loquitur de Indicatione curatiua, & uoluit esse desumendam à proprietate ineffabili, si est proprietas ineffabilis quomodo potest esse Indicans curatorium, quare ego ita interpretarer Galenũ, ut per hęc uerba insinuaret quid agendũ specificum; non modo specificum, hoc est uerbi gratia, in febri, frigidũ in secundo, uerumetiã, ut insinuaret quid agendum specificum in tali, & tali mansione. Exempli gratia, ubi est febris calida in secundo, & in prima mansione indicat nobis frigidum in secundo, & in prima mansione, ut quemadmodum ex Galeni sententia in opere de Medicamentis, reponantur medicamenta calida in tali gradu, & in tali gradu; & in tali mansione, necessarium sit fateri hęc medicamenta esse materiem remedij, exempli gratia, calidi, uel frigidi, in tali gradu, & in tali mansione. Significat autem mansio gradus temperaturæ à proprietate ineffabili, ut significaret uix fieri posse, ut gradus in determinata mãsione cognoscatur, per conie-

coniecturam progredi oportet, quare hunc in modum est intelligenda illa authoritas.

DVBITATIO.

DVbitatio etiam proponitur ex Galeni 3. M.9. vbi ait, primam indicationem sumi à solo affectu, remedia autem inde inueniri non posse, nisi naturale temperamentum totius & partis pernoscatur, vna cũ aëre, quare Indicatio ex Galeno loco citato sumitur ab vlcere à temperatura, & ab aëre, quomodo igitur à solo morbo. Proponitur autẽ aër non vt habet rationem Indicantis, sed proponit aërem vt signum, vt si, verbi gratia, in vlcere aër fuerit humidior, ita facit vlcus, vt opus sit medicamẽto magis siccante, quàm si aër non esset humidior. Vnde aër non indicat, sed est signum intensioris humiditatis, à qua fit indicatio; quo verò ad temperaturam, quia vt audiuistis Gale. dicit, non modo aërem, sed etiã tẽperaturam. Quid intelligit per tẽperaturã? *3.M.9.*

DE TEMPERATVRA.

PEr temperaturam significat nobis indicãs iuuans, non accipit hoc loco temperaturam in ratione signi, sed indicantis: hanc veritatem debetis recte intelligere, quia Galenus vt suis locis cognoscetis accipit temperaturam quandoque in ratione signi, vt 9. M. 14. quandoque in ratione indicantis, vt hoc loco hoc est 3.M.9. declarat, hoc in loco proponit curationem vlceris, quemadmodum 9. *9.M.14* *3.M.9.*

9.M.14 M.14.respicit potius ad curationem febris. In curatione vlceris: temperatura naturalis partis, cōplexio naturalis partis habet rationem indicantis, in febre temperatura totius habet rationem signi. Declaro, si verbi gratia, vlcus est in parte ficciori, oportet magis siccare, quàm si pars fuerit minus sicca, & ratio est, quia pars siccior debet tali conseruari, quia complexio secundum naturā etiam si à tempore recedat est cōseruanda, indicat sui conseruationem, indicat simile, pars siccior vt talis conseruetur indicat simile siccum, & ob
3.M.9. id recte dictum est hoc in loco 3. M.9. Temperaturam habere rationem nō signi, sed indicantis. Pro nunc autem supponatis, temperaturam ita acceptam in ratione indicatis esse indicans vitale non curatorium, non præseruatorium, hoc pro nunc supponatis, quemadmodum etiam supponendum est indicans vitale nil aliud esse quam virtutem, quomodo autē tēperatura sit virtus suo in loco oculis conspicietis, vt si sermo fiat de febri, non de vlceris curatione, vt colligere licet, ex Galeno
9.M.14 9. M. 14. temperatura habet rationem signi, non indicantis, verbi gratia, sit febris in corpore calido, cum Galeno loco citato vtimur frigido, frigidum non potest indicari à complexione calida secundum naturā, quia quod est secundum naturam, indicatur simile, calidum indicat calidum, tamen sermo est de fri-

gido:

gido: de frigido quod indicatur à febre, quæ febris ſignificatur à temperatura calida, Vnde ex dictis colligatis, & potiſſimum ex 3. M. 9. primam indicationem hoc eſt genericam ſumi à ſolo effectu id eſt morbo, reliqua autẽ vel habere rationem ſigni vel ſi ſunt indicantia nequaquam eſſe poſſunt curatoria, quia indicans curatorium à ſolo morbo indicatur vt Gal. loco citato per remedia intelligat indicata ſpecifica, quæ ſane indicantur ab eſſentia ſpecifica vt ſuo loco clarius dicemus. Præterea ex eodem loco colligere licet, ſi vlcus fuerit in loco, in parte temperata, in med. nil innouandum: Hanc veritatem recte percipiatis, vt ſciatis curare ulcera, ſi in parte tẽperata, dicit Gale. vlcus erit, in med. nil innouas, ſi autem locus intemperatus ſit, med. mutare oportet, quantum corpus ad naturalem intemperiem eſt verſum, vt inferat Galenus remedia non indicari à temperatura, ſed ab intemperie, intemperies indicat, temperatura eſt non indicans. Et ſermo eſt de intemperie naturali, non de morboſa, quorum dictorum hęc eſt ratio, cum vlcus indicet ſiccum in primo, cum refringatur ab humiditate vlcus, nõ poteſt locus temperatus mutari, nõ poteſt locus temperatus pati à medicamento ſicco in primo, non poteſt pars temperata mutari à medicamento ſicco in primo, ſed ſi pars fuerit intemperata, & nos vtamur ratione vlce-

3. M. 9.

ris medicamento ſicco in primo, refringetur ab humiditate vlceris, vt ſicca intemperies non conſeruetur, ſed immutetur, cum autem expediat vt naturalis intemperies conſeruetur, imo ſit neceſſarium in curatione vlceris, ut intemperies naturalis conſeruetur, quia ſi mutabitur, nunquam locus conſolidabitur, inquit igitur vt ſit opus ſiccari, medicamento magis ſicco, quàm indicatur ab ulcere. Ecce igitur quemadmodum temperies non indicat, intemperies indicat in ulcere, dicit autem
4. M. 3. Galenus 4. M. 3. curationis indicationem ab effectu ſumi, particulatim autem agenda, ab eo quod prima indicatio dictat, atque præterea à natura partis, ab aëre, & cognatis. Galenus hoc in loco proponit indicationem curatiuam, & tamen inter indicantia proponit morbum affectum, uerùm etiam illud quod dictitat prima indicatio. Illud quod dictat prima indicatio eſt primum indicatum, quare cum Galeno à primo indicato ſumitur prima indicatio curatiua, quod puer non diceret, ita tamen loquitur Galenus, proinde proponit partis naturam, aërem, ætatem, conſuetudinem, cognata. Deinde igitur intelligit Galenus indicationem curatiuā ſumi ab effectu præter naturam, id eſt, à morbo, ubi per
4. M. 3. curationis indicationem 4. M. 3. intelligit indicationē genericam: Dum uerò ſubdit particulatim agenda, nil aliud intelligit, quam

quid agendum ſpecificum, quod quid agendum ſpecificum inuenitur iu virtute indicationis generica, verbi gratia, ſi à febri indicatur frigidum, nunquam eſt deſiſtendum à frigido, & hoc eſt quod dictat prima indicatio, quod oſtendit indicatio generica, vt præſidiú genericum, eſt frigidum in febri, ſpecificum, verbi gratia, eſt remedium in primo, ſed frigidum in prima manſione, & nunquam recedimus à frigido, ab eo quod dictat prima indicatio, ſed non propterea eſt dicendum primum indicatum habere rationem indicantis. Reliqua à Galeno ibi propoſita habent rationem ſigni. Vnde admoneantur iuniores, differentiam eſſe inter ſigna & indicantia: nam ſignum nobis ſignificat indicans, indicãs autem eſt illud à quo ſumitur indicatio, quam veritatem vtinam omnes cognouiſſent: quia nos non ita laboraremus. Obſecro videte Galenum 9.M.14. vbi affert indicationem ſpecificam ſumi ab ætate, à conſuetudine, ab aëre; ſed quomodo? reſpicit Galenus vt mutant temperaturam, ſunt indicantia vt mutant temperaturam, ergo ſunt vere indicantia, ego neſcio quis hoc dicat, & ideo ita intelligatis eſſe indicantia in ratione ſigni, quia talis aër, conſuetudo, indicium eſt talis temperaturæ.

Differentia inter Signa & Indicantia.

LECTIO VNDECIMA.

CEpimus dicere quandoq; Galenum vocare indicantia illa quæ ſunt ſigna, vt

vocib.abutatur,quia vocib.nō fuit addictus, & vt hoc euidenter pernoscatis, videatis Galenus 9. M.15.vbi ait,noscere oportet temperaturam ex ætate, anteacta vita,& aëre, voluit Gale. ab ætate, aëre, capi indicationem, non quia vellet hæc esse indicantia,sed signa, quod sit verum, cognoscitur temperatura ex ætate, aëre, &c. quare sunt signa. Vnde cum Galenus dicit 2. M. 1. Indicationem sumi ab ætate,à vitæ instituto,à consuetudine,&c. accipit ea vt signa non vt indicantia, esset satis imprudens qui diceret,indicationem sumi ab ætate, neque obstat licet dicit Hippocrates 4. de ratione vict.19.secandam esse venā,quando ætas est florens,vt ætas videtur habere rationem indicantis,quod est falsum, ætas non indicat, sed est signū virtutis vel prohibentis vel permittentis. Præterea dum Galenus 13. M.16.inquit, Coindicātia sunt virtus,natura, ætas,aër,consuetudo,& reliqua, per virtutem intelligit virtutem permittentem,per reliqua omnia intelligit signa: & ideo quando Gale. ait,indicarionē sumi ab ætate & reliquis, accipiatis hæc vt signa.Patet igitur, quēadmodū Indicatio curatiua sumitur tantū à morbo.

9.M.15 · *2.M.1.* · *4.de rōne vict.* · *13.Met. 16.* · *Coindicātia.*

DVBITATIO.

Dubit.

DVbitare autem licet merito Indicationis præseruatiuæ,quam dictum fuit indicari à causa morbifica,Galen. 4.Met.6. videtur quædam verba proponere, quæ diffi-

4.M.6.

cultatem

cultatem faciunt, dum ait, morbi magnitudinem primum indicare vel ſanguinis detractionem vel purgationem, ſi ergo morbi magnitudo, ſi morbus vehemens, indicat ſanguinis detractionem, purgationem; hæc ſunt Indicata præſeruatoria. Sãguinis detractio purgatio tamen cum Galeno indicantur à morbo vehement, Soluatis, quia oportet ſoluere authoritates, & dicatis Galenum morbum vehementem non accipere in ratione indicantis, quia non fuiſſet Galenus, ſed homo imprudentiſſimus, quia morbus uehemens, ut ſuo loco cognoſcetis, eſt indicans tantum curatorium, & non poteſt indicare remedium preſeruatorium, quare accipit morbum uehementem in ratione ſigni, nam materia morbifica eſt illa, quæ indicat, & duo ſunt indicata, ut Galenus dicit loco citato, id eſt remediũ uacuans ſanguinem, & remedium purgans, ſunt duo indicata, quia & indicãs eſt duplex, eſt ſanguis, & eſt materia recedens à natura ſanguinis, eſt materia alia à natura ſanguinis, quæ indicat purgationem ſanguinis ſectionem. Morbi autem magnitudo habet rationem ſigni, & hoc ſignum eſt morbus uehemens, quod ſignũ poteſt duo ſignificare, recte iuniores intelligant; Abſurdum eſt aſſerere, vnum eſſe indicans, & duo eſſe indicata, eſt abſurdum, ut ſuo loco demonſtrabimus.

4. M. 6. 4. de rõne vict. 19.

Non eſt autem abſurdum dicere, vnicum

ſignum poſſe referri ad duo ſignificata: vnicum ſignum poteſt duo ſignificare: ob id Galenus accipiens morbum vehementem pro ſigno, non pro indicante, dicit morbi magnitudinem indicare, uel ſanguinis detractionem, vel purgationem, eſt ergo ſignum quod duo ſignificabat. Vt iuniores acquieſcant, & hanc veritatem abſolute conſequantur, ſcire debét, morbum vehementem duo ſignificare, quorũ vtrunque eſt vere indicans præſeruatorium, quod nihil aliud eſſe poteſt quàm cauſa morbifica, hoc eſt, vel ſanguis, vel humor recedẽs à natura ſanguinis, & quia hæc duo indicantia prę́ſeruatoria quandoq; ſunt debilia, quãdoque ſunt vehementia, morbus vehemẽs eſt ſignum indicantis prę́ſeruatorij, ſed vehemẽtis. Verbi gratia, vbi eſt febris ſynocha continens, febris hęc vehemens eſt ſignum ſanguinis, vt eſt affectus peccato vehementi, id eſt, ſanguinis vehementer peccantis, ita de reliquis: verbi gratia, febris ardens exquiſita eſt febris vehemens, & eſt ſignum materię bilioſæ vehementer peccantis, quia ab his materiebus vehementer peccantibus indicatur validum auxilium prę́ſeruatoriũ, ſiue huius materiæ ſit venæ ſectio, vt in ſanguine peccante, ſiue huius materiæ ſit ſcammonium, vt quando peccat bilis, quare Galenus 4.M.6. loco citato dum proponit morbi magnitudinem, nõ accipit in ratione indicantis, ſed in ratione ſigni;

gni, quod ſignum nobis ſignificat indicantis pręſeruatorium, cõfirmatur, & bene, quia Galenus eodem loco 4.M.6. quod caput pleriq; habent pro demonſtratione aduerſus veritatem à nobis propoſitam, Gal. ibi ait miſſionẽ ſanguinis admittendam eſſe, vel propter eius abundantiam, vel propter morbi magnitudinem, ita & purgatio, ecce ſanguinis miſſio eſt vnicum indicatum, purgatio eſt vnicum indicatum, ſed duo reſpiciunt, ſanguinem cauſam morbificam, reſpiciunt morbi vehementiam, quare ex his duobus vnum tantum debet eſſe indicans, quia vnum ab vno tantũ indicatur. Indicata ſunt pręſeruatiua, quare etiam indicantia præſeruatoria, quare quod indicatur eſt ſanguis & bilis, eſt cacochimia, quod habet rationem ſigni, & morbi vehementię. Ego neſcio quomodo teneat illa cõſequentia, morbus eſt vehemẽs, virtus eſt valida, ergo ſecanda vena, ego neſcio, quia poteſt eſſe morbus vehemens, qui non fiat à ſanguine, & virtus erit valida, quia ſuſtinet ſcammonium, tolerat elaterium, poteſt perferre antimonium, & tamen non eſt ſecanda vena, ad hęc addatis indicationem nequaquam indicari, vel deſumi, vel à tempore, uel ab ætate, uel conſuetudine, uel ab aëre, præterea quod non dantur plura indicantia, quàm tria, vt reliqua habent rationem ſigni, unde iuniores, ut cognoſcant, & facile, quod uerſantur in errore, quo ad tē-

4.M.6.

pus,

pus, uideant Galenum 3. Meth. vlt. ubi proponit recens uetusque ulcus, hoc est, nouum, uel antiquum ulcus, nihil indicare, ut fallantur, decipiantur, qui credunt, in uictu uiuendi rationem aliam esse principij, aliam augmenti, aliam status, aliam declinationis, siquidem ex
4. M. 4. Gal. 4. M. 4. Indicatio non sumitur à tempore, & addit Galenus, ut doceat tempus, dierum numerum, non autem indicet, dixit autẽ Galenus: Tempus non indicare per se, quia ex accidenti. Preterea quod cõsequitur, ut signũ: Ideo subdit: esto quod conferat tempus ad agnitionem, cognitionem, quare habet rationem signi, nõ tamen indicatio sumitur à tempore. quid clarius? tempus igitur habet rationem signi non indicantis. Vnde idem Gal. 4.
4. M. 5. Meth. 5. ait, in ulcere diuturno inueniri iuuãs non ex tempore, non ex diuturnitate ulceris, sed ex uitio succi, quare succus indicat tempus nequaquam. Præterea Galenus libro ad
AdThra syb. 39. Thrasybulum cap. 39. dicit, cum morbi sunt in uigore, statu, uictu tenuissimo ubi oportet. Hęc fuit Hippocratis sententia, sed addit loco citato Gal. tempus, id est, uigor morbi, sta-
Tp̃s medicum est facultas dimensa. tus, non accipitur ab Hippocrate, ut indicans, sed ut metitur facultatem, ut est signum facultatis uirtutis, quia alia est uirtus in statu, alia in alijs temporibus, unde in cap. 40. eiusdem
AdThra syb. 40. libri dicit, inter initia si quid uidetur mouendum moue, initium hoc tempus accipit, ut si-

gnum,

gnum, quod significat uires inter initia perferre motionem, euacuationẽ. Preterea in c. 44. inquit Galenus, quod est indicans indicat, aut sui custodiam, aut sui ablationem. Tempus dicit Galenus neque sui custodiam, neq; sui ablationẽ indicat, ergo non potest esse indicans, sed iuniores notent, dixisse Gal. 9. Meth. 14. opus fuisse inueniri ex tempore, tempus oportunum admonendę materię inueniri, indicari ex quatuor temporibus. Quare indicatio sumitur à tempore, quare ita intelligatis, ut tẽpus accipiatur non ut indicans, sed ut habet rationem signi. Galenus etiam 10. Method. 2. inquit, uirtutem robustam auxiliorum usum non morari, non prohibere; sunt autem uires, dicit Galenus, imbecilles, vel propter alias causas, uel propter senium, ex quo loco colligatis ætatem non habere rationem indicantis, & proinde nec prohibentis, nec permittentis, quia cum tria tantum sunt indicantia, tria tãtum sunt permittentia, tria tantum prohibentia, ut hæc Methodus sit breuissima. Quare cum inquit Galenus: Virtutem robustam nõ morari auxiliorum usum, & subdit, uirtutem esse debilem propter senium, propter ætatem senilem, per senium non intelligatis ætatem in ratione prohibentis, sed in ratione signi, ut ętas senilis sit signum uirtutis debilis, quę est prohibens, quare Gal. 2. M. 3. dum inquit Indicationem sumi ab ætate non preterita, sed

Ad Thrasyb. 44.

10. M. 2

Aetas nõ ĩdicat Nota, Tria indicantia, tria ꝑmittẽtia, tria prohibentia.

2. M. 3.

præsenti, accipit ętatem, ut signum, non ut habet rationem indicantis, quia ętas nequaquã indicat, accipit autem ętatem pręsentem. Ego pondero omnia dicta, ne aliquis uestrum turbetur ab alijs; accepit ętatem præsentẽ, quia est signum pręsentis temperaturæ, fuit admirabilis Galenus, proponit ætatem præsentem non præteritam, quia ętas pręsens est signum præsentis temperaturæ, ætas præterita est signum pręteritæ temperaturæ. Ætas præsens est signum pręsentis temperaturæ, Indicatio sumitur à præsenti, Indicatio sumitur à temperatura pręsenti, non à præterita, cuius signũ est temperatura præsens, & ob id 2.M.13. inquit ad indicantia cognoscenda conferre ętatem, & consuetudinem.

LECTIO DVODECIMA.

VT pateret non esse plura quam tria indicantia necessarium fuit proponere Galeni authoritates, ut quilibet perspiceret Galenum indicantia sępenumero pro signis accipere, & præter propositas authoritates, quantum spectat ad ętatem 2.M.15. ait saluberrimum esse in febrib. mittere sanguinem, si nec ætas, nec uirtus prohibeant, cum autem unicum tantum sit quod prohibet nempe uirtus, dum proposuit Galenus ętatem, non intelligatis ętatem prohibentem, quare cum ætas non sit indicans, nec potest esse prohibens, &
2.M.15 ideo loco citato 2. M. 15. per ætatem accipit
ætatem,

ętatem non prohibentem, ſed ætatem, quę eſt ſignum prohibentis, eſt ſignum temperaturæ, ut uerbi gratia, puerilis ætas ſignificat nobis temperaturam humidam, & calidam ratione cuius uirtus diſſoluitur, diſſipatur uirtus, non poteſt perferre uenæ ſectionem, accipit ętatē in ratione ſigni: præterea 9.M.16. inquit ętatem indicare curationem, & uideatis locum quæſo quomodo ſubdit Galenus per intercidentem corporis naturam. quid clarius? ſi ætas indicat curationem per intercedentem corporis naturam per intermediam corporis temperaturam, igitur eſt ſignum ætas, non indicans, eſt ſignum intermediæ naturæ, temperaturæ, quæ temperatura, & ipſa eſt ſignū, ut hoc loco dicimus: quare quando Galenum uidebitis dicentem indicationem ſumi ab ętate, intelligatis in ratione ſigni, nō indicantis: Hæc de ætate. 9.M.16

De conſuetudine quomodo indicat.

QVantum ad conſuetudinem dicit Gal. 9.M.16. conſuetudinē non parum cōferre ad remediorum inuentionem, intelligatis conſuetudinem conferre, ut ſignū, neque In ratione indicantis, unde ſubdit Galenus conſuetudinem ſummam vim habere. Quare habet ſummam vim? ſubdit conſuetudinem ſummam vim habere in inuentione remediorum, Si ergo conſuetudo maxime cōfert ad inuentionem remediorum, quoniam 9.M.16

ſignificat

ſignificat corporis naturam, ergo in ratione ſigni ſi confert ad inuentionem remediorum, vt eſt ſignum corporis temperaturæ, ergo etiã lapis molaris cognoſcitur concurrere in ratione ſigni non indicantis. Præterea Galen.2.
2.M.3. M.3. dicit in ægris ſeruandam eſſe temperaturam etiam uitioſam. Quare eſt ſeruanda? dicit Galenus ea ratione, qua maxima eſt indicatio, quæ ſumitur à conſuetudine, à conſuetudine non ſolum ſumitur indicatio, ſed maxima, tamen conſuetudo nequaquam indicat, quia ſunt tantum tria indicantia, quod ſit verum, dicit Galenus maximam indicationẽ ſumi à conſuetudine, ſubdit vt temperaturam vel ſeruat, vel inducit; Quare maxima eſt indicatio, quæ ſumitur à conſuetudine? vt conſuetudo eſt ſignum temperaturæ, quę temperatura etiam vitioſa indicat ſimile in corpore ægrotante, indicat ſimile, & eſt conſeruanda, quia conſuetudo habet rationem ſigni. Præterea Gal.9.M.vlt.imo 8.M.vlt.proponit quędam dicta de ætate, & conſuetudine ſimul, quæ dicta non ita facile ab omnibus intelliguntur. Dicit igitur Gal. ex conſuetudine eſt ſumenda Indicatio ſi multo tempore intemperatę naturę victu contrario ſunt uſæ. Ratio eſt quia conſuetudo, atque etiam ętas ſunt ſigna temperaturæ, nam temperatura aſſcitia producitur ab ætate, producitur à conſuetudine, ſiquidem ætas mutat temperaturam, alia eſt

tem-

temperies in pueritia alia in iuuentute, Consuetudo & ipsa si multo tempore perseueret mutat temperiem. Hoc pro nunc supponatis. Capiatur à temperatura, ut temperatura est essentia virtutis non secus; quia indicans vitale nil aliud est, quàm uirtus, & sola uirtutis essentia est indicans vitale, & vt dixi pro nūc supponatis, temperaturam vt est essentia virtutis, indicare præsidium vitale de quo Gal. 8. Meth. vlt. Vt ætas & consuetudo proponatur à Galeno in ratione signi nō autem, quia sunt indicantia. Sed cum consuetudo sit signum, non quælibet tamen consuetudo, sed consuetudo, quæ multo tempore perdurat, Ob id loco citato subdit Galenus indicationem sumi ab ætate & natura hoc est temperatura: non absolute dicit Galenus, sed cum consuetudine, scilicet antiqua, vt magis possit consuetudo, quam possit ætas, præterea quod consuetudo, quę perdurat, mutat temperaturam, quæ producitur ab ætate. Si uerbi gratia iuuenis ratione ætatis iuuenilis calidus sit, ex consuetudine antiqua quæ longo tempore perduret ciborum frigidorum, erit iuuenis tandem frigidus; & ideo Galenus dicit Indicationem sumi ab ætate & temperatura non absolute, sed cum consuetudine, semper tamen ut ætatem & cōsuetudinem sumat in ratione signi; admoneantur iuuenes Galenum composuisse librum quē inscribit de assuetudinibus, quem

8. M. vl.

Nota lib. de assuetudinib.

librum

librum ex uobiſmetipſis poteritis legere, & intelligere, ſi ſolum admonuero iuniores eo in loco Galenum non reſpicere ad iuuantia ſed ad materias iuuantium, ut ſit negocium quod non pertineat ad Methodum medendi.

De aëre, quomodo aër indicet.

TAndem quãtum ad aërem ſpectat cuius etiam gratia ſunt aliquæ proponendæ authoritates, ne iuniorum mentes cõfundantur, Galenus 3.M.8. ait in Methodo medendi inſpicere conuenit aëris temperaturam, nam ubi immoderata eſt temperatura nã ubi aër intemperatus eſt, ſanationem moratur, quare inquit Galenus dando operã ut medicamentis aëris exceſſui occurramus: Ecce quemadmodum medicamenta referuntur in aërem: & propterea dicit Galenus & Hippocrates, in calidiori aëre uti debemus frigidioribus, in frigidiori aëre calidioribus. hanc authoritatem ita intelligatis ut dum aër immoderatus corrigitur, id fit ut euadat materia remedij quemadmodum etiam ut dũ utimur ptiſana, & ptiſanæ frigiditatem ueremur, eam corrigimus, cum pipere, piper reſpicit ptiſanã & indicatur à ptiſana. Sed hoc non pertinet ad Methodum medendi, pertinet ad compoſitionem ciborum, eſt negociũ extra Methodum dum autem inquit Galenus ex mente Hippocratis in aëre calidiori opus eſſe uti frigidioribus, in frigidiori calidioribus, hæc frigidiora,

gidiora, hæc calidiora adhibentur corpori ægrotanti, & ideo pertinent ad methodum, non ſunt extra methodum, non adhibentur aëri, ſed corpori ægrotanti, quomodo aër cõcurrit? concurrit vt ſignum, quia in Methodo medendi nullo modo poteſt eſſe indicans; Dicant alij quicquid velint, & poteritis videre virum doctum qui ſcribit de indicatione & ſuſtinet aërem indicare, ſed errat, concurrit in ratione ſigni: Declaro ſi verbi gratia, fuerit febris & aër calidior, oportet vti frigidioribus, præterea quod aër calidior fouet febrem reddit febrem magis intenſam: Si aër calidior reddit febrem magis intenſam, ergo intenſius refrigerare oportet: ſed hoc magis frigidum indicatur à febris vehementia, indicatur ab intenſitate febris, à gradu febris, quẽ gradũ, vt ſignũ nobis ſignificat aër, quare aër habet rationem ſigni; & ex vobiſmetipſis poteritis intelligere Galen. 8. M. vltimo vbi loquitur de victu medicinali in febribus ephemeris, & voluit indicationem deſumendam eſſe ab aëre, vt ſi aër dicit Galenus temperatus ſit, ſimilium ſit indicatio: ſi autem intemperatus, indicatio ſit cõtrariorum: verbi gratia, in hyeme cibus debet eſſe calidus & ſiccus, in æſtate frigidus & humidus, & licet dixerim vos ex propoſitis authoritatibus hãc authoritatem intelligere, quia tamen dubito, ne iuniores fortaſſe veritatem non aſſequan-

tur, & a senioribus turbentur, duobus verbis hæc dicta sunt exponenda. Licet dixerit Galenus aërem temperatum similia indicare, intemperatum contraria, nequaquam tamen indicat nec similia nec cõtraria, accipit igitur Galenus aërẽ in ratione signi, & accipit hoc loco aërem in ratione signi, quod signum significat indicans quandoq; contrariũ, quandoque vitale. Declaro dum significat febrem, est signum indicantis curatorij, dum significat temperiem seu intemperiem naturalem, est signum indicantis vitalis, vt signum indicantis contrarij, dum significat temperiẽ seu intemperiem naturalem, est signum indicantis uitalis ut signum indicantis contrarij, si temperatus est, non potest esse in causa alicuius mutationis, unde id est agendum, quod indicat febris, si autem aër est intemperatus, vel est dissimilis uel similis, si est dissimilis febri, habet rationem materiæ, quare non indicat, si autem est similis, significat intensiorem febrem, unde signum est intensioris febris, si autem capiatur ut est signum Indicantis uitalis, hoc est ut est signum temperaturæ, sermo est de febri ephemera, de hac loquitur ibi Gale. si similis est, non est sine causa alicuius mutationis, si autem fuerit dissimilis ut uerbi gratia, aër sit frigidior, corpus sit calidius, utimur cum Galeno minus frigidis, & ratio est, quod aër sui frigiditate est contrarius natu-

rali

ali temperamento calido, ut non liceat uti a frigidis, quemadmodum indicantur à febri, sed minus frigidis. Ecce igitur quemadmodum aër refertur ad temperaturam naturalem, est signum temperaturæ, ut licet dixerit Gale. indicationem sumi ab aëre, intelligere oportet in ratione signi nō autem aliter.

LECTIO DECIMATERTIA.

DVbitatio igitur est, ex 9. M. 15. ubi ait Galenus, cum aër in nostra manu non sit, ideo ex aëre propria indicatio sumitur. Ecce quemadmodum ex Galeni sentētia non modo ab aëre sumitur indicatio, sed etiā sumitur propria Indicatio, cum tamen ab aere nulla prorsus hauriatur Indicatio, quare per aerem intelligatis, aerem concurrere in ratione signi indicantis, seu manifestantis. namq; aer sui præsentia dum exempli gratia est similis febri ueluti aer calidus in febri, ita fouet ita intendit febrem ut à febre ita intensa ita aucta hauriatur propria indicatio, Præterea est alia Gal. authoritas 9. M. ul. ubi inquit in uacuatione sanguinis perpendenda natura ab initio, consuetudo, ętas, aer, affectus, ante hunc sane affectum uirtus. Ex quibus dictis colligunt, sed non adadmodum prudentes medici in uacuatione sanguinis ut indicantia concurrere naturam, consuetudinem, ætatem, aerem, affectum & uirtutem, neque opinionis aliā reddunt causam quam uerba 9.M.15

Galeni pessimè intellecta. Hunc igitur locum ita intelligatis, loquitur Galenus de remedio uehementi sanguinem euacuante cuius materia est uenæ sectio. cum igitur loquitur Galenus de remedio uehementi ualido sanguinem euacuante hoc indicatur ab effectu. Et ideo Galenus hoc loco proponit affectum in ratione indicantis, ut tantum affectus sit indicans nil aliud, quia unicum tantum est indicans. Per affectum autem non intelligatis morbum, sed intelligatis peccatum quo sanguis afficitur, proponit autem Galen. hoc loco uirtutem, & dicit ante affectũ uirtus; per hæc significans uirtutem esse præferendam peccato sanguinis, quotiescunque cætera sunt paria, ut suo loco cognoscetis, nam uirtus cõcurrit in uacuatione sanguinis, quandoq; ut permittens, quandoque ut prohibens, ut sit anteponenda peccato sanguinis, dum autem proponit Galenus naturam, ab initio accipit naturam, hoc est, temperaturam natiuam, ad differentiam ascitiæ, & temperaturã natiuã uocat naturam ab initio. Quam temperaturã nõ accipit in ratione indicãtis, quia solus affectus indicat, & sola uirtus in uacuatione sanguinis uel permittit uel prohibet, quia ualida permittit, debilis prohibet, quare naturã ab initio, quare temperaturã natiuam accipit in ratione signi manifestantis uirtutem uel debilem uel robustam, atque ita est intelligendum

dum de consuetudine, de ætate, atq; de aere. Propter iuniores do exemplum, temperatura natiua frigida & sicca est signum virtutis debilis, calida virtutis robustæ, præterea si aliquis assuetus est perferre uenę sectionem, hęc consuetudo est signum uirtutis robustæ, ad eundem modum ætas, uerbi gratia, puerilis est signum uirtutis debilis, & proinde prohibentis. ad eundem modum aer impense calidus & siccus, est signum uirtutis debilis prohibentis. quare hoc est perpetuæ ueritatis, ut unicum tantum sit indicans, unicum tantum prohibens, atque si Galenus plura proponit, sunt signa nō sunt indicantia. Cùm igitur statutum sit tria tantum esse indicantia, hoc est, Indicans curatorium, præseruatorium, & uitale, expedit ut in præsentia sigillatim circa hæc tria discurramus.

De Indicante Cvratorio, ac Indicato.

PRimum quod ad Indicans curatorium hoc nihil aliud est quã morbus, & morbus nihil aliud indicat quàm quid agendum & usum, hoc est, rectam administrationem materiæ, ne fiat confusio, ostendere in primis oportet, quomodo se habet morbus ad indicandum quid agendum, secundo autem loco ad indicandum usum.

Quomodo morbus indicet quid agendum.

QVantum attinet ad primum, morbus indicat quid agendum, quod communiter poteſt vocari indicatum iuuãs præſidium, at magis proprie vocatur remediũ, & hoc vobis explico, vt ex vobiſmetipſis, & ſciatis loqui, & ſciatis intelligere, quando Galenus, vel propriè, vel impropriè loquitur, per remedium cũ Galeno in lib. ad Thraſyb. cap. 43. intelligimus remedium ad differentiã alimenti, nec præter rationem, quia vt ſuo loco cognoſcetis alimẽtum nequaquam eſt indicatum curatorium, ſed tantum vitale, vt à virtute ſola indicetur, contra remedium eſt, quid agendum, quod indicatur à morbo.

Ad Thraſyb. 43.

Differentiam inter Remedium, & Alimentum colligere licet ex Galeni loco citato, remedium eſt illa materia, quæ agit in corpus: verbi gratia, febris indicat frigidum, & proinde remedium, quia huius materia, vt verbi gratia, Endiuia agit in corpus, refrigerat corpus, contra alimentum eſt quid agendum, cuius materia patitur à corpore, vt verbi gratia, virtus indicat alimentum, cuius materia eſt caro pulli, quæ caro patitur, nutritur à corpore. In preſentia igitur per quid agendum, non intelligimus alimentum, ſed remedium.

DVPLEX REMEDIVM,
conseruans, vel auferens.

REmediũ igitur duplex esse potest, aliud auferens, aliud conseruans, in pręsentia non intelligimus remedium conseruans, quoniam remedium conseruans indicatur à sola virtute, & in pręsentia supponatis à virtute, ab indicante vitali indicari nõ modo alimentũ, sed etiam remedium, sed remediũ conseruãs, quare in pręsentia nos per remedium intelligimus remedium auferens, non conseruans.

REMEDIVM AVFERENS DVPLEX.

REmedium autem auferẽs potest esse duplex, namque aliud est remedium auferens morbum, aliud est remedium auferens causam, nos in pręsentia intelligimus remedium auferens morbum non causam, quia sermo non est de indicato curatorio, quod sumitur tantum à morbo, remedium autẽ auferens causam est remedium præseruatorium, quod indicatur tantum à causa, & de hoc suo loco. Nunc igitur per remedium intelligimus remedium auferens morbum, ad quod respiciens Galenus in lib. ad Thrasyb. cap. 48. dicit affectum solum morborum expulsionẽ indicare, & ratio patet, quia cum proportio esse debeat inter indicans & indicatum, si indicans curatorium, & indicatum ex necessitate habet esse curatorium. *Ad Thrasyb. 48.*

DVBITATIO.

2.*M*.1. SEd dubitatio eſt, quia Gal.2.M.1. inquit, quæ curationem indicant ſi in duo diuidantur morbus, & temperatura; quare indicans curatorium non modo erit morbus, ſed etiam temperatura. Indicans curatorium eſt tantum morbus, quare Galenus loco citato tẽperaturam accipit in ratione ſigni, vt temperatura ſignificet gradum morbi, à quo gradu ſumitur indicatio, non ſumitur indicatio à tẽperatura, ſed à gradu morbi patefacto à temperatura, & ob id ſubdit Galenus illo 2.M.1. laborantis temperaturam vna cum morbi cõtrarietate menſuram definire quidẽ indicatã: quid eſt indicatum? quid eſt definitum? eſt menſura, hoc eſt, eſt remedium determinatũ: verbi gratia, remedium frigidum in ſecundo gradu, hoc eſt remedium, hæc eſt mẽſura, quę proponitur à Galeno. Cum hæc ſit menſura, & hoc ſit remedium determinatum: verbi gratia, frigidum in ſecundo, à quo indicatur? dicit Galenus indicari, definiri à laborantis temperatura vna cum morbi contrarietate, proponit laborantis temperiem, & morbi cõtrarietatem, ſi eſt vnum indicatum, debet eſſe vnum indicans, quodnam erit hoc vnum indicans? quis eſt ille tam ignarus, tã pertinax, qui uideat indicans eſſe morbi contrarietatẽ, & hoc oſtendo propter iuniores: verbi gratia, in febri in corpore, vel temperamẽto, vel tem-

peraturæ

peraturæ calidę indicatum eſt frigidum, ſi indicatum eſt frigidum, ergo à ſola febre indicatur, quia febris, vt calida indicat frigidum, quod frigidum nõ poteſt indicari à temperie, non poteſt indicari à temperatura calida.

DVBITATIO.

PRima dubitatio eſſe poteſt ex dictis Galeni in lib. ad Thraſybul. cap. 9. ubi dicit ab affectu conferentia non indicari, hæc authoritas ab omnibus nõ intelligitur. dicit Gal. ab affectu conferentia non indicari, per affectum nil aliud intelligit, quàm indicans in genere, ſecundum eſſentiam genericam, ut uerbi gratia, dum accipimus morbum, febrem, vt eſt quid pręter naturam, per affectum intelligit Galenus indicans ſecundum eſſentiam genericam, per conferentia autem intelligit indicatum ſpecificum, eſt notiſſimum indicatũ ſpecificum non indicari ab indicante generico, quia ſemper ſeruatur proportio inter indicans, & indicatum, vnde indicans genericum indicat quid agendum genericum, indicans ſpecificum indicat quid agẽdum ſpecificum: merito igitur dicit Galenus ab affectu conferentia non indicari, hoc eſt, ab indicante generico non indicari indicata ſpecifica, ad quã veritatem reſpiciens Gal. dicit eodem lib. ad Thraſyb. cap. 23. indicationem non ſumi ab affectu, quod dictum niſi recte intelligitur, ſatis dubium eſt. Indicatio enim ſumitur à

Ad Thraſyb. 9.

morbo,

morbo, ab affectu: uoluit igitur significare Galenus indicationem vtilem nõ sumi ab affectu, ab indicante generico, ideo quandoq; neque sumitur indicatio ab indicante subalterno, sed à specifico tantum, Exempli gratia, ait Gal. lib. ad Thrasyb. cap. 23. si fuerit inflãmatio, quę tollitur sanguinis euacuatione, inflammatio non indicat vtile, quia id quod indicat est materia, est sanguis, vt sit indicatio præseruatoria, non curatoria, &c.

Ad Thrasyb. 23.

LECTIO XIIII.

CVM tria sint tãtum indicantia, cepimus circa vnum indicãs curatorium digredi, quod nihil aliud est quàm morbus, atque cum indicet & quid agendum & vsum, quãtum spectat ad quid agendum, est remedium auferens morbum, & hoc à nullo alio indicatur quàm à morbi essentia, morbi autẽ essentia est uel generica uel specifica, quemadmodum colligere licet ex Galeni 10. Met. 10. ubi habet propriam indicationem, hoc est specificam indicationem, quæ supponit genericam indicari à quocunque affectu, à determinato affectu, ut etiam subdit Gale. noscere oportet ad unguem cuiusq; affectus essentiam, quia ab essentia sumitur indicatio, & propterea idem Galen. 13. M. 21. dicit præsidiorum formulam desumi indicari ex affectus natura, hoc est, ex essẽtia specifica, siquidem per prçsidiorum formulã nihil aliud intelligere potest

10. M. 10

test quàm præsidium, remedium specificum, vnde etiam idem Gal. in lib, ad Thrasyb. c. 48. dicit ab affectu indicari solum morborum expulsionem, quibus autem expellantur morbi ab alio sumi, quæ verba ita sunt intelligenda, ut morbi expulsio, hoc est quid agendum genericum indicetur ab affectu, ab essentia generica, dum uerò subdit, quibus autem fiat expulsio, significat remedium specificum, quod indicatur ab alio, hoc est, ab alia essentia quã ab essentia generica, quia scilicet indicatur à specifica. Vnde his expositis propter iuniores duo sunt declaranda, alterum quid statuendũ sit de remedio valido, reliquum, quid statuendum sit de remedij vehiculo, & potissimum hæc duo sunt declaranda. Præterea neutrum pertinet ad usum, ad rectam administrationem materiæ. *Ad Thrasyb. 48.*

DE REMEDIO VALIDO, & debili.

QVo ad primum admoneantur iuniores remedium siue ualidum siue debile, nõ tantum esse curatorium, de quo in pręsentia est sermo, verùm etiam pręseruatorium, & vitale, & hoc in loco licet nostrum principale institutum dirigatur ad pręsidium uehemens curatorium, ita tamen loquemur breuitatis gratia, ut appareat etiam quodnã sit remedium uehemens, & pręseruatorium, & uitale, quia omnium est eadem ratio. In pri

mis

mis igitur ne contingat deceptio ob nominis ignorationem, ſciendum, fuiſſe Galeni ſententiam lib. ad Thraſybul. cap. 34. omnia auxilia eſſe cum magnitudine, ut quodlibet remediũ poſſit uocari magnum, uehemens. Verùm cũ in magnitudine detur latitudo, medici auxilia, quæ ſunt magis uehementia vocant uehementia, quæ ſunt minus uehementia, ſolent appellare debilia, & ſecundum hanc rationẽ nos in pręſentia accipimus. Quantum ergo ad auxilium uehemens indicatur ab eſſentia vehementi indicantis, quia ſemper debet eſſe proportio inter indicatum, & indicans, quam virtutem cognoſcẽs Gal. 4. M. 6. dicit in omni morbo ſpectandum eſſe ſcopum à magnitudine deſumptũ, unde extremis morbis, extrema remedia competunt. Vnde etiam cum Gale. loco citato 4. M. 6. in ſanguinis redundantis concurſu non neceſſariò ſecanda uena, nàm alijs ſatisfacit uel balneũ, uel frictio, uel aliquid conſimile, his uerbis ſignificans Galenus, dum adeſt ſanguinis redundantis concurſus, ſi in ſanguine peccatum eſt uehemẽs, opus eſſe uehementi præſidio, cuius materia eſt uenæ ſectio, ſi autem cõtra ſanguinis peccatum non ſit uehemens, opus eſt remedio debili, cuius materia uerbi gratia eſt frictio, eſt balneum, præterea dixit Galenus 3. Meth. ultimo magna ulcera curari his quæ ualenter ſiccãt, parua autem ulcera curari his quę moderate

4. M. 6.

derate ſiccant, quibus morbis nihil aliud inſinuat niſi remedium uehemens indicari ab eſſentia uehementi, remedium debile, hoc eſt moderate ſiccans indicari ab eſſentia debili, ſed notent iuniores ut recte & non in cortice, intelligant Galenum perpetuo auxilium uehemens indicari ab eſſentia uehementi, uerum non credatis dum Galen. hoc loco proponit magnum ulcus, & paruum ulcus, hæc eſſe indicātia, qui in cortice, in ſuperficie uolunt Galenum intelligere, teſtabuntur, affirmabunt remedium uehemens ſiccans indicari à magno ulcere, debiliter ſiccans à paruo ulcere, ſed utrunque eſt falſum, nam ulcus ſiue magnum ſiue paruum ulcus, inquam, quomodocunque acceptum eſt morbus, ſi morbus ergo indicans curatorium, quare & remedium curatorium, remedium ſiccans in ulcere ſiue intenſe ſiue remiſſe, non eſt curatorium, neque pueri hoc dicerent, eſt præſeruatorium, propterea quod remedium ſiccās reſpicit excretum tenue ulcus, excretum eſt illud quod indicat, excretum nō eſt morbus, eſt cauſa morbifica, eſt indicans præſeruatorium, quare eo loco Galenum ita intelligatis, ut dum proponit magnum ulcus, dum proponit paruum ulcus, hæc proponit Gal. non ut indicantia, ſed ut ſigna, quæ ſigna nobis manifeſtant indicans præſeruatorium: Declaro ut oculis hāc ueritatem uideatis, uerbi gratia,

magnum

magnum vlcus significat copiosum excretū, significat excretum vehemens, significat excretum cuius essentia indicat remediū vehementer siccās, paruum autem vlcus est signū exigui excreti, & proinde indicantis preserua torij debilis, quod indicat remedium siccans moderate. Preterea fuit Galeni sententia 14.
14. M. vlt. M. vlt. & hanc authoritatē propono, vt quando exercebitis artem chirurgicam sciatis intelligere Gal. dicit ergo 14. M. vlt. sanationem pterygij, id est, vnguis in oculo, sanationē inquam pterygij parui, & mollis fieri per detergentia medicamenta, magni & duri per instrumenta chirurgica, quid voluit quæso significare Galenus dum proponit medicamenta detergentia, proponit remedia debilia, dum proponit chirurgiam, remedia vehementia proponit, quare necessarium est, vt hoc loco reperiatur indicans, & debile & vehemens, quantum ad indicans debile, hoc significat Galenus quando proposuit pterygium paruū & molle, vnde detergentia presidia non indicantur à paruitate, non indicantur à mollitie, & ideo paruitas & mollities proponitur à Galeno, vt signa debilis essentię materię extirpādæ, namque vbi pterygium est paruum, vbi molle, materiæ essentia est debilis, contrà autem vbi pterygium est magnum, durum, opus est vehementi præsidio, opus est ferro, chirurgia, sed non indicatur, à magnitudine, à duri-

cie remedium vehemens, ſed magnitudo pterygij duricieſq; ſunt ſigna vehementis eſſentiæ. Gal. etiam 14.M.13. dicit his conſiderationibus habitis inuenies & quando chirurgia & quando medicamentis vti licet, quibus verbis proponit quid agendum, proponit remedium vehemens, quod ſignificatur per ferrum per chirurgiã, proponit debile quod inſinuat per medicamenta, hęc autem deſumuntur ſemper ab eſſentia, vt eſſentia vehementior indicet vehementius, debilis debile, & ideo cum hoc ſit perpetuæ veritatis, vt remedium vehemens indicetur ab eſſentia vehementi, nõ modo vtile eſt verùm etiam neceſſarium. Cogitate quidnam intelligere oportet per vehementiam, per magnitudinem Indicantis, ſine qua doctrina non eſt poſſibile callere methodũ medendi; A quo fuerit expoſita hęc veritas, teſtor Deos me ignorare, paſſim loquitur de vehementia indicantium, ſępe modò vnam ſententiã, modo aliam proponere videtur, Gal. 4.M.vlt. dicit uehementiam eſſe capiendam ex dignitate, & proprijs ſubſtantijs, loquitur in plurali, & proprijs ſubſtantijs 9.M.13. dicit uehementem capi à dignitate à magnitudine, & à propria ſubſtantia, non dicit à proprijs ſubſtantijs, ſed à propria ſubſtantia 2.M.3. dicit uehementem capi à dignitate, & magnitudine, & explicans quid intelligere oportet per dignitatẽ, ſubdit 14.M.13

ſiue

ſiue uitæ ſiue ſanitatis, unde etiam inquit eo-
dem in loco quantum attinet ad magnitudi-
nem hanc eſſe intelligendam, uel ratione pro
priæ ſubſtantię, uel ratione declinationis à na
turali habitu, ut intelligatis & has authorita-
tes; & reliquas omnes à Galeno propoſitas,
nos ſcire oportet uehementiã indicantis poſſe
duobus modis accipi, uno modo, ut eſt abſo-
luta, ut eſt uehemẽtia abſoluta, reliquo ut eſt
reſpectiua. Declaro propter iuniores, & præ-
ſertim propter illos, qui libentiſſime turbant
iuuenes. Per abſolutam uehementiam intel-
ligo, quando indicans ſeorſim cõſtituitur, hoc
eſt quando non confertur, quando non com-
paratur cum alio indicante. Contra uehemen
tia reſpectiua eſt, quando uehementia unius
indicantis, confertur cum uehementia alte-
rius indicantis.

De vehementia abſoluta.

IN primis quantum ſpectat ad uehemen-
tiam abſolutam, hæc duplex eſſe poteſt,
namq; alia eſt uehemẽtia ſimpliciter accepta,
propria ratione, alia uero ſecũdum quid, hoc
eſt non propria ratione, ſed ratione alterius:
do exemplũ, verbi gratia. Cancer eſt affectus
ſimpliciter uehemẽs, quia ſecundum propriã
eſſentiam, & in qualibet parte reperitur can-
cer, ſemper eſt affectus uehemens, Eſt autem
affectus uehemens, ſecundum quid ut puſtu-
la, nam puſtula in crure eſt affectus debilis,
at ſi

at si fuerit in parte nobili, id est in iecore, in pulmone, pustula est affectus uehemẽs secundum quid, hoc est ratione loci affecti, unde Gal.4.M.7.respiciens ad uehementiam secun dum quid proposuit partis præseruatorium, proposuit etiam 7.M.12.Cęterùm si uehemẽtia fuerit absoluta, & similiter adhuc duplex esse potest; namq; hæc uehementia absoluta est uehementia, uel actiuitatis, uel resistentię: verbi gratia febris ardens est uehemens, & uehementiam obtinet absolutam simpliciter, sed ratione actiuitatis, ratione resistentiæ, ueluti est ulcus contumax, ueluti est materia dura, & ob id Gal.4.M.6. quod caput ignoro ego, à quo fuerit recte explicatum, dicit quælibet notate, quælibet dicit Galenus, unde est propositio uniuersalis, dicit ergo Gal. quælibet grauia magnaq; statim propter partis prę stantiam, propter affectus magnitudinem, & tertio quia cacoete.

4.M.7.

7.M.12

4.M.6.

LECTIO XV.

CVm quid agendum sumatur ab essentia Indicantis, & Indicatio capiatur à vehementia indicantis, necessarium fuit discurrere circa uehementiam, ut pateret quænam essentia esset uehementia, & dictum fuit uehementiam esse, uel absolutam, uel respectiuam, quoad absolutam, hanc esse uel secundum quid, uel simpliciter ratione, uel actiuitatis, uel resistentiæ. Vnde Galenus respiciens

ad hanc ueritatem 4.M.6.dicit quęlibet grauia seu magna, uel propter partis præstantiã, per hęc uerba insinuans uehementiam secundum quid, hoc est ratione partis præstantis. Pręterea propter affectus magnitudinem, per hęc uerba significans uehementiam simpliciter ratione actiuitatis, quęcunq; sint illa uerba simpliciter ratione actiuitatis, tertio addit uel quia cacoete, per hęc uerba manifestans uehementiam simpliciter ratione resistentiæ, quę sunt cacoete, mali habitus sunt difficilis, summęq; resistentię. Hunc igitur in modum hęc authoritas est intelligenda; qua veritate ita constituta, cum patet quidnam intelligere oportet per vehementiam absolutam, & à vehementia sumitur Indicatio, à vehementia indicatur quid agendum, necessarium est, ut vehementia sit essentia, quæ est hęc essentia, hoc adhuc nondum cognouistis, nisi fortasse, qui profitentur hanc doctrinam, hanc veritatem explicamus. Cum indicantis essentia sit triplex, generica, subalterna, & specifica, vehementia indicantis nequaquam potest esse essentia generica, sed subalterna, & specifica. Declaro subalterna duplex esse potest, vel enim est maxima, proxima genericæ, vel est maximę vicina specificę, si fuerit vehementia quę sit, quæ pertinet ad essentiam subalternã, sed proximam genericæ, hęc est vehementia, quam Galenus locis citatis dignitatem vocauit,

cauit, uehementiam desumpsit ex dignitate. Quo uerò ad uehementiam, quæ spectat ad essentiam subalternam, sed proximam specificę, hęc est illa uehementia, quam nuncupauit propriam essentiam, siquidem ut suo loco intellexistis uehementiam accepit à propria essentia, quantum denique ad uehementiam, ut pertinet ad essentiam specificam, hanc patefecit Galenus dum locis citatis accipit uehementiam penes declinationem à naturali habitu. Ecce igitur quemadmodum uehemẽtia pertinet semper ad essentiam, sed ad essentiã subalternam specificã. Propter iuniores, quia hæc dicta sunt fundamenta huius artis libet dare exemplum in quolibet indicante, & proinde in morbo, in causa, in uirtute.

Exemplum in morbo, & vehementia.

QVantum attinet ad morbum febris, ut morbus, ut quid pręter naturam, & proinde secundum essentiam genericam non est uehemens, nullam habet uehementiam pręter naturam, & propterea recte dictum est uehementiam non esse essentiam genericam, at si capiatur febris, ut morbus totius corporis febris est uehemens, sed essentia subalterna, quę est proxima genericę, & ideò dum accipimus febrim, ut est morbus totius, & ut à morbo totius lędũtur omnes actiones naturales, Secundum hãc rationem febris est morbus uehemẽs, sed hęc uehementia uoca-

tur à Galeno dignitas, eſt uehementia quę accipitur à dignitate, & pertinet ad eſſentiam ſubalternam maximè proximam genericę.

Secundo ſi accipimus febrim, ut eſt febris ardens, hęc eſt uehementia, quæ pertinet ad eſſentiam ſubalternã, ſed quæ accedit ad eſſentiam ſpecificam, & hæc eſt illa uehementia, quam magnitudinem ſuis locis uocauit Galenus propriam eſſentiam, propriam ad differentiam ſubalternæ, quę maxime accedit ad genericam.

Tertio, & vltimo, ſi capiatur febris ardens, ſed in ſene in corpore ſenili, hęc eſt uehementia, quę ſpectat ad eſſentiam ſpecificam, quã ſignificat Galenus per declinationem à naturali habitu, dum eſt febris ardens in ſene in corpore frigido, eſt ſummus receſſus, eſt ſumma declinatio, & propterea eſt morbus uehemens eſt uehementia, quę eſt eſſentia ſpecifica, quę ſumitur à declinatione, à naturali habitu. Hęc de morbo.

Exemplum à cauſa de vehementia.

QVo uero ad exemplum, quod poteſt deſumi à cauſa ab indicante pręſeruatorio: verbi gratia, ſi ſermo fiat de ſanguine, ſanguis ut prętér naturam non habet in ſe uehementiam, & ideo recte dixerimus, uehementiam non pertinere ad eſſentiã genericam. Si deſcendamus, ſanguis perpenditur, ut materia morbifica, morbificabilis ad diffe-

differentiam cauſę excrementitię, & ſecundū hanc eſſentiam ſubalternam, quę eſt proxima genericę locum habet uehementia, quę accipitur ex dignitate. Si magis deſcendamus, hoc eſt, ad eſſentiam ſubalternam, ſed magis proximam ſpecificę, erit, verbi gratia, ſanguis ut putridus, & hęc uehementia accipitur ex magnitudine, accipitur ex propria eſſentia, ita uolebat Galenus authoritatibus allegatis.

Tertiò, & vltimò ſi deſcendamus ad eſſentiam ſpecificam erit, verbi gratia, ſanguis ut putridus, in ſummo dantur gradus in putredine, datur maior & minor declinatio à naturali ſtatu, ſcilicet ſanguinis. Et ideo hęc eſt uehementia, quę eſt eſſentia ſpecifica, quam deſumpſit Gal. à declinatione à naturali ſtatu.

Exemplum à virtute de vehementia.

QVantum denique attinet ad uirtutem, & proinde ad indicans uitale, uirtus ſi accipiatur ſecundum eſſentiā maxime genericam, ut eſt quid ſecundum naturā, ut diſtinguitur à re præter naturam, ſecundū hanc eſſentiam non eſt uehemens, id eſt, hæc eſſentia non eſt uehemens, ut perpetuum ſit genericā eſſentiā nō indicare auxilium uehemens. Si deſcendamus ad eſſentiā ſubalternā uirtus accipitur ſecundū uires, ſecundū naturam, quę conſeruat uitā, ſecundū quā eſſentiā ſubalternam uirtutis eſſentia eſt uehemens, ſed hęc uehementia pertinet ad dignitatem.

Si descendamus,& perpendimus uirtutem vt dissipatur,ut est facilis dissipationis, ut uer bi gratia in puerili ætate, hęc est essentia subalterna quæ uergit ad specificam, accedit ad specificam, & desumitur à magnitudine seu à propria essentia, quia Galenus, ut audiuistis, multis uocibus utitur.

Postremò si capiatur uirtus in puero molliori, quia datur latitudo in puerili ætate, secundum hanc rationem uirtutis essentia specifica, quæ desumitur ex Galeno ex magnitudine, quam etiam uocauit declinationẽ. Hęc est summa declinatio uirtutis. Hactenus igitur cognouistis quemadmodũ quid agẽdum curatorium dum est uehemens indicatur à uehementia morbi, hoc est ab essentia, uel subalterna, uel specifica.

De vehementia respectiua.

SI uerò alia ex parte fuerit uehementia respectiua,hęc uehementia quandoq; per-
10.*M*.10 penditur,quandoque non. Gal.10.M.10. dici affectum,uel esse unum uel esse plures,& addebat Galenus, si unicus sit affectus, curationem facilem esse, si non ratione,saltem experientia. Vnde iuniores obiter saltem aduertãt ita locutum esse Galenum, ut quantũ attinet non ad experientiam, sed ad rationem,etiam si unicus sit affectus, ut non habet locum uehementia respectiua. Difficultatem tamen esse in curando. Nam difficile est., dicit Gal.

gradum

gradum cognoſcere à quo gradu à qua eſſentia ſumitur Indicatio.

At ſi contingat, ut affectus ſint plures, & propterea contrarij, curatio difficilis eſt, & ratione, & experientia.

Difficultas ſi affectus ſint plures.

Difficultas autem eſt duplex. Prima quidem eſt, quia difficile eſt nouiſſe cuiuſque affectus eſſentiam, à qua ut ſcitis, ſumitur indicatio.

Secunda difficultas eſt, quia cum Galeno loco citato cognoſcere oportet ex plurib. affectibus, quem primum omnium, aut magis, quem rurſus minus aut ſecundo, aut tertio loco curare oportet, & in hoc eſt magna difficultas, unde in mixtis affectibus oportet cognoſcere, quæ uis, quæ eſſentia, quæ uehemētia ſit intenſior; quæ remiſſior, nam eſſentia, quæ eſt intenſior habet rationem prohibētis, quę verò remiſſior habet rationem permittētis, unde iuniores hoc fundamentum memoriæ mandent, idem Indicans, idem inquam ſecundum eſſentiam abſolutam, rationem habere Indicantis, & idem prorſus, quia nō ſunt multiplicanda indicantia in hac Methodo, idem prorſus ſecūdum eſſentiam reſpectiuā, ſecūdum eſſentiam comparatam ad eſſentiā alterius indicantis habere rationem, uel prohibentis, uel permittentis. Habet rationē prohibentis ſi eſſentia reſpectiua eſt intenſior,

habet rationem permittentis, si essentia respectiua est remissior, quare tria tantum dantur indicantia, tria quoque prohibentia, tria tantum permittentia, ut morbus secũdum essentiam absolutam sit indicans, secundum respectiuam uehementiorem sit prohibens, secundum respectiuam remissiorem sit permittens. Idem est statuendum de causa & de uirtute. Comprobantur hæc uerba Gal. authoritate 8. M. vlt. qui locus non est usque adeo facilis, dicit Galenus in contrarijs Indicationib. nisi quis indicationum potestatem examinet, nequeat mensuram uictus inuenire, ex quo colligatis summe esse necessariũ in pluribus affectibus in contrarijs indicationibus perpẽdere omnium potestates. Quo in loco Galenus quid intelligat per mensuram? nimis ego libenter ab alijs intelligerem: dicam quod sentio: puto ego, & est locus difficilis, & non potest recte curari febris, nisi bene intellecta illa authoritate, per mensuram uictus non intelligit quantum agendum, sed quid agendũ, & quid agendum quod est mixtum, ex uitali indicato, & indicato curatorio. Declaro, est mixtum ex indicaro uitali, ut Galenus accipit indicationem à temperatura, & hoc pro nunc supponatis, quia in sermone de uirtute, de indicante uitali ostendam euidenter, quomodo temperatura quæque nihil aliud est quàm essentia uirtutis, ut cum indicatio capiatur ab

8. M. vl.

eſſentia Indicantis, Gal.8.M.vlt. per menſurã uictus intelligat indicatum uitale, ut indicatur à temperatura, intelligit etiam per menſuram uictus indicatum curatorium, ut indicatur à febri ab eſſentia febris, ut indicatur ab indicante curatorio, & propterea hoc indicatum eſt mixtum non ſimplex, horum autem duorum indicantium eſſentia eſt uehemẽtia reſpectiua, quę uehementia reſpectiua dupliciter poteſt conſiderari. Pręterea ſcilicet, & indicantia, hoc eſt uitalia, & curatoria, uel cõſentiunt, uel diſcrepant. Et ſane hæc eſt doctrina pulchra, quæ traditur à Galeno, ſi conſentiant hęc duo Indicãtia, hoc eſt tẽperatura hominis febricitantis, & febris, hęc uehementia indicat uictum medicinalem intenſiorẽ.

LECTIO XVI.

DIctum fuit pro explicatione authoritatis Gal.8.M.vlt. Galenũ loqui de indicato, quod eſt mixtum ex uitali indicato à temperatura, & curatorio indicato à febre, dum proponit menſuram uictus, dum proponit gradũ uictus medicinalis, hoc autem dictum ita eſt intelligendum, ut dum corpus febricitat perpendere oportet, an indicãtia, uel cõſentiant, uel diſcrepent, ſi cõſentiunt, indicatur uictus medicinalis intẽſior, hoc eſt, indicatur uictus magis refrigerans, indicatur uictus intenſe refrigerans, & ideo dicit loco citato Galenus, ſi febricitans habuerit ætatem, temperaturam,

con-

consuetudinem, & uersatur in aëre, ratione quorum omnium indicatur auxilium frigidũ, quemadmodum etiam indicatur à febri, tunc oportet exhibere uictum magis frigidũ, quia est concordia inter febrem, & reliqua, inter febrem, ætatem, consuetudinem, & reliqua, si autem contingit ut sit discrepantia inter Indicantia, cum Galeno ut sciatis febrem curare, notate quantum attinet ad uirtutem, quæ est indicãs uitale, an adsit temperies, uel intemperies, hoc est an uerbi gratia, Socrates febre detentus, sit vel temperatus, vel distẽperatus, sermo est de complexione secundum naturã, si ergo fuerit temperies cũ Galeno uirtus despicitur, uirtutis essentia nequaquam est uehemens, sed despicitur, quia adest temperies, quæ est signum debilis essentiæ uirtutis, unde dicit Galenus loco citato in media temperatura mediocri, id est, ubi non est intemperies uictum esse exhibendum frigidum, ut indicatur à febri, ecce hęc est mensura uictus, hic est gradus, hæc est mensura uictus refrigerantis, ut exhibeatur ęquè frigidus, ut indicatur à febre, quia uirtus despicitur, uirtus solum permittit. Si uerò ex parte uirtutis fuerit intemperies, indicatur uictus remissior, hoc est, non ita frigidus, sicuti indicatur à febri, & ego nescio quomodo sine hac methodo possit intelligi Galenus, possit febris curari. Itaque in discrepantia Indicantium, in discrepantia inter

virtutem

virtutem & febrem ſi fuerit intemperies, indicatur uictus remiſſior minus frigidus, quā indicetur à febre, ratio eſt, quia ubi ſunt indicantia cōtraria eſt neceſſarium, ut fiat aliqua refractio, aliqua remiſſio, hinc fit ut ſi contrariorum indicantium uis ſit par, æqualis, indicetur uictus medius, medius inquam inter frigidum indicatum à febre, & calidum indicatum à uirtute. Si autem uis, potentia contrariorum Indicantiū ſit impar, indicatur uictus medicinalis à medio tantum recedens, quantum eſt maior, uel minor uis indicantiū. Vnde iuniores admoneantur, & duo memorię mandent. Alterum eſt, ſi tria Indicantia, quia non plura dantur, ſi tria indicantia ſint paria in uehementia, hoc eſt, morbus, cauſa, & uictus, uirtutem ſuperare reliqua morbū, & cauſam, ut magis ſit cōſulendū uirtuti quàm reliquis.

Secundò notetur ſi hæc tria ſint imparia, uirtutem modo ſuperare reliqua, modo à reliquis ſuperari, non credatis uirtutem, quæ eſt indicans uitale ſemper ſuperare, uincere reliqua indicantia, hoc eſt falſum, hęc ueritas cōprobatur Gal. authoritate 9.M.13. ubi ait reſpiciens ad indicantia paria, primum indicatum ſumi à virtute, proximam primæ ſumi ab affectibus, poſt deinde reliquas. Quomodo hęc eſt intelligenda authoritas? Notate Galenum quatuor proponere, vnum proponit dū inquit, primum indicatū ſumi à uirtute, quia

virtus.

virtus si cætera sint paria, est regina omnium indicantium, ex quatuor igitur hoc est unum quod proponitur. Deinde duo proponit quã-do ait, proximam indicationem sumi ab affe-ctibus, nam per affectus intelligit duo indicã-tia, hoc est, morbum, & proinde indicans cu-ratorium, & causam, id est, indicans præserua torium; quod sit verũ, subdit, datur affectus, qui vacuationem requirit, qui affectus nõ est morbus, sed ex necessitate causa, quia nullus morbus indicat vacuãs, sed sola causa. Recte igitur dicit Galenus proximam indicationem primę, indicari ab affectibus hoc est à morbo, & causa. Quartum deinde proponit Galenus dum dicit, quæ deinde, quid uoluit per hoc DEINCEPS, cum sint tria tantum indican-tia, hoc est, uirtus, morbus, & causa, & hęc tria proposuerit Galenus per hęc quæ sunt de inceps non potest intelligere indicantia, sed signa connotantia, nequaquam indicantia, quæ signa, ego uolo, ut hãc doctrinam exacte intelligatis, sunt signa, uel uirtutis, uel morbi, uel causæ, sunt signa indicantium. Galenus igitur ponens sedes primum locum tribuit uir tuti, secundum morbo, & causæ, tertium locũ his quæ deinceps, hoc est signis. & ratio est, manifesta, quia uirtus dũ oĩa sunt paria est p̃-ferenda omnibus indicantib. Secundũ locum debet obtinere morbus, & causæ, quia sunt in dicantia. tertiũ locũ reliqua quia sunt signa.

SEd aduertite hæc signa, quæ sunt deinceps, hęc posse dupliciter constitui, altero modo, ut aduersantur uiribus, altero modo, ut non aduersantur uiribus, Si aduersantur uiribus, dupliciter habent locum, propterea quod uires primum locum sibi uendicant, si autem cõsentiant cum uiribus dicit Galenus loco citato, hęc referre utrunq; calculum, hoc est, & uerba sunt difficilia intellectu, hoc est, & obtinere, & primam sedem, & secundam, quam primam sedem, & secundam uocant utrunque calculum, primum locum, secundũ locum. Declaro, si consentiant cum uiribus hoc est si sint ex parte uirium ætas, temperatura & reliqua obtinent primum locum, quia sunt signa uirtutis ad differentiam illorũ, quę sunt signa uel morbi, uel causæ, si autem sunt signa, uel morbi, uel causæ, tunc habent secũdum locum, posteriorem locum, & ratio est in promptu, vt hæc signa habent utrunque calculum, vtranq; sedem, primam sedem, ut sunt signa uirtutis, secundum calculum, ut signa, uel morbi, uel causæ, at si contingat non dari paritatem inter tria indicantia, quemadmodum dictum fuit, Virtus modo superat modo superatur, quod cognoscens Gal. 10. M. 1. inquit expedit primam causam, & febrem profligare si uirtus sit robusta. Ecce quemadmodum primũ locũ habet morbus, habet causa,

poste-

posteriorem uirtus ubi est robusta, rursus dicit Galenus primò roboranda est uirtus, si est debilis, unde idem Galenus dicebat 9.M.7. Indicationẽ sumptam à uirtute sæpe esse maxime necessariam, aliquando mediocriter necessariam, quandoque ita despicitur, ut prorsus utilis non sit, & hoc est intelligendũ, quando uehementia uirtutis respectiua, quando essentia uirtutis respectiua est admodum remissa: intensa autem essentia uel morbi, uel causæ, quod sane est, dũ morbus est uehemẽs, dum causa est uehemẽs, & uirtus est robusta, ut uirtutis essentia sit uehemens dum uirtus est debilis, contra uerò uirtutis essentia sit debilis, ubi uirtus est robusta, & ob id uirtus robusta permittit, debilis prohibet.

Vehementia inter morbum, & causam.

SI verò posthabita uirtute inuicem conferimus morbum, & causam, quia hactenus cognouistis quid statuendum sit de uehe mentia inter tria indicantia, si ergo perpendimus uehementiam tantum rerum præter naturam, hoc est morbi, & causæ, cum Gal. 10.
10. *M*. 1 M. 1. plerunque est uehementior causa, quandoque morbus, sed plerunque causa, ratio est, quia uerbi gratia febris, quę est morbus fouetur à causa, ut causa, quia fouet morbum, habet rationem magis uehementis. Præterea si febris sit uehemens, est uehemens dum fit à causa calida, quia rationi consentaneum est,

vt caliditas febrilis ſit intenſior, dum fit à cauſa calida, non autem quia fit à frigida. Vnde uerbi gratia febris bilioſa eſt uehemẽs febris; pituitoſa eſt remiſſæ caliditatis, at cauſa hoc eſt materia uehemens eſt, ac eſſe poteſt ſiue ſit calida ſiue frigida. Hactenus uos cognoſcitis quid ſtatuendum ſit de uehementia indicantium.

DVBITATIO.

SEd propter iuniores dubitare licet ex Gal. 4.M.vlt. ubi inquit ualentiora remedia, uehementioraq; requirere partes profundas, eandem ſentẽtiam habuit 5.M.2. & arte medicinali cap.89. Ecce ualentiora remedia uidentur indicari à partibus profundis, quia uehementia remedia non uidentur indicari à uehementia morbi, cauſæ uel uirtutis, ſed à profundis partibus.

4.M.vl.

5.M.2.
arte med. cap.89.

SOLVTIO.

SOluatis, & dicatis has authoritates non pertinere ad Methodum curatiuam, quã in pręſentia profitemur. ſed eſſe extra Methodum, & pertinere ad Methodum de medicamentis. Declaro, ut ſciatis intelligere Galeni authoritates, & non confundere, & do exemplum, uerbi gratia morbus indicat remediũ, ut duo in ſecũdo gradu, ſi uos noueritis ex cognitione medicamentorum medicamẽti uim in tranſitu remitti, hebetari, uos eligetis medicamentum aliquod intenſius, quod nõ modo

ſit

ſit calidum, ut duo, ſed ut tria, quia in tranſitu in itinere poteſt remitti unus gradus. & ſi cognoſcetis ex doctrina ſimplicium medicamentorum, in tranſitu non remitti gradũ, ſed remitti manſionem, uos eligetis medicamentum in eodem gradu, ſed in maiori in ulteriori manſione, & ſi non erit copia ſimplicis medicamenti, uos ſecundum Methodum cõponendi medicamenta eligetis medicamẽtum, quod cum alio permiſcebitis, ita ut medicamentum miniſtretur dum in profundas partes perducitur. Ita agatur, ut ſuperet, uincat morbum. Et ideo illæ authoritates noſtris dictis non aduerſantur, quia ſunt extra Methodum medendi. Eſt ſtatuendum idem de uehiculo de quo loquens Gal. 4. M. ult. dicit in uiſceribus pulmonũ, & pectoris, & renum opus eſſe uehiculo nam cum ratione ulcerum opus ſit medicamentis ſiccantibus, quæ auſtera ſunt, morarentur in uẽtriculo, & ideo egemus uehiculo, & ideo Galen. in ulceribus pectoris miſcebat mel, in renum diuretica. Sed pertinent ad Methodum medicamentorum.

4. M. ul.

LECTIO XVII.

De Vsu Indicantis Curatorii.

AVdiuiſtis quemadmodum morbus eſt indicans curatorium, & indicat quid agendum, per ſuam eſſentiam, ſiue ſit generica, ſiue ſpecifica, ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua, ut nunc explicandum ſuccedat, quonam modo

modo se habeat morbus ad indicandũ usum, rectam administrationem materiæ. Sed propter iuniores non sit præter rationẽ antea explicare Gal. authoritatẽ, quã pauci intellexere, dicit Gal. 9. M. 14. Curatiuam indicationẽ sumi à morbo, temperatura, & aëre, & subdit Gal. ut sint hęc tria prima, quę curationẽ indicant, unde iuniores tria intelligere debent: Primũ quõ hęc tria cõcurrant ad indicandũ: Secundò qua ratione tria tantum sunt. Tertiò quõ sint prima, quomodo hęc tria sint prima. *9. M. 14*

AD PRIMVM.

QVantum attinet ad primum uos scire oportet, Galenum hoc in loco uerba facere de indicatione curatiua, non de præseruatoria, non de uitali, sed de curatiua, & de hac & generica, & specifica, ut ex tribus propositis, hoc est ex morbo, temperatura, & aëre, morbus tantum sit indicans, temperatura, & aër sint signa, nõ autem Indicantia. Declaro sermo est ibi de febre, quæ indicat frigidum, temperatura non indicat frigidum, quia temperatura cum possit esse calida indicat sui cõseruationem, id est simile, id est calidum, sermo est de remedio frigido, quare temperatura est signum gradus, seu recessus febris, ut ultra non sit corpus febrile refrigerandum, ultra scilicet recessum gradum à naturali statu, quia temperatura se tuendam indicat, sui conseruationem requirit. Et ob id

Galenus eo loco cum proponat temperaturã in ratione ſigni, accipit temperaturã non pręſentem, quia corpus febricitat, corpus eſt intẽperatum, accipit temperaturã, quę fuit eratq; eo tempore quo homo cœpit febricitare.

DE AERE.

QVo verò ad aërem accipit aërem in ratione ſigni, ut aër indicat gradum febrilem. Nã uerbi gratia aër calidior indicat etiã febrẽ intẽſiorẽ, quia fouetur, intẽditur ab aëre calidiori, patet igitur quẽadmodũ hęc tria cõferunt ad curationẽ, ea rõne tñ, ut ſolus morbus ſit indicãs, reliqua ſint ſigna.

AD SECVNDVM.

QVo verò ad ſecundum quod erat explicare quomodo ſunt tria tantùm, in primis, ut audiuiſtis ſupponere oportet ſermonem eſſe de Indicatione tantum Curatiua, quo fit ut cum corpus febricitans duplicem poſſit habere affectum, alter ſit morbus alter ſit ſanitas, ut neceſſarium ſit ut corpus, uel morbo afficiatur, uel ſanitate, merito neceſſitatis ſimpliciter duo habent locum, hoc eſt morbus, & temperatura, merito autem neceſſitatis ſecundum quid habet locum aër, & ideo dicit Galenus aërem perpendi tanquam id ſine quo nec morbus eſſe poteſt, nec ſanitas tueri, ut merito neceſſitatis ſimpliciter ſint duo, morbus & temperatura, merito neceſſitatis ſine qua non ſit aër, quare tria tantum.

AD TERTIVM.

QVo verò ad tertium, quod erat explicare qua ratione dicit Galenus hæc tria eſſe prima: Quomodo ſunt prima, morbus, temperatura & aër? ſciatis morbum eſſe primum, ut diuiditur in differentias ſeu ſpecies, reliqua autem duo, hoc eſt temperaturam, & aërem habere rationem primi, ut diuiduntur non in ſpecies, nõ in differentias, ſed in cauſas. Declaro cum Galeno loco citato quo ad morbum, ex Galeno morbus non debet diuidi eo in loco in cauſas, poteſt tamẽ diuidi, ut ſi uerbi gratia dicamus quod morbus ſit ab hac, uel ab illa cauſa, uel à ſanguine, uel à pituita, ſed eo in loco non eſt ita morbus diuidendus, quia ſermo eſt de Indicatione curatoria, quæ non ſumitur à cauſa morbi, quia eſſet præſeruatorium, ſed ſumitur à ſpecie, ut uerbi gratia morbus in intemperie diuiditur in intemperiem uel calidam, uel frigidam, & utraque intemperies indicat remedium curatorium non præſeruatorium. Morbus igitur habet rationem primi, ut eſt genus, quod in ſpecies diuiditur. Quo verò attinet ad temperaturam, habet rationem primi, ut diuiditur in cauſas, nõ ut diuiditur in ſpecies: temperatura tamen poteſt diuidi in ſpecies, differentias, ut uerbi gratia dicamus complexio uel eſt moderata, uel immoderata, in curatione tamen ſanitatis immoderata uel cali-

da,uel frigida. Ecce quemadmodum temperies potest diuidi in species, Gal. tamen loco citato 9.M.14. inquit, nõ diuidi temperaturã in species, differentias sed in causas, quia loquitur de temperatura non ut est indicans, nam ut suo loco cognoscetis, quando loquemur de Indicatione uitali, temperatura est diuidenda in species, quia ita diuisa est indicãs uitale, hoc in loco, cum capitur temperatura, ut signum: ideo est diuidenda in causas, ut uidelicet temperatura sit uel à principijs genericis à primo ortu, uel sit ab ætate, uel à cõsuetudine, uel ab aëre, ut dicit Galenus loco citato: Vt temperatura si cõferatur cum ætate, & reliquis, habeat rationem primi.

DE AERE.

QVantum denique ad aërem, hic & ipse debet diuidi in causas, ut prodit, ut fit à regione, uel à tempore anni, uel à cœli statu, à constitutione cœli, ut si aër conferatur cum celi statu, cum temperie anni, dubio procul habet rationem primi. Cognoscitis ergo qua ratione, & aër habet rationẽ primi. Ita igitur est intelligenda illa authoritas.

DE VSV.

PErgentes autem dicimus morbum indicare usum hoc est Quantum, Quomodo, Quando, & Vbi, quæ sanè cum quatuor sint Indicata, & unum nõ nisi ab uno indicetur, necessarium est, ut in morbo sint quatuor

indicantia, ut propterea à morbi actione indicetur Quantum agendum, à paſſione modus, Quomodo, à potentia Quando, à ſubſiſtentia Vbi. Et licet hæc ueritas locum habet in quolibet Indicante, ſat tamen ſit in pręſentia hæc applicare morbo. Supponere autem oportet, quemadmodum ſuo loco fuit declaratum, hæc quatuor non pertinere ad morbi eſſentiam, quia eſſentia nihil aliud indicat quàm quid agendum, ſed pertinere ad illud, quod conſequitur: quod quadruplex eſt, ut ſuo loco fuit explicatum.

I. DE QVANTVM AGENDVM.

PRimum ergo quo ad quantum agendum notent iuniores, per quantitatem neceſſarium eſſe intelligere doſin materię remedij indicati à morbo, ut uerbi gratia, febris indicat frigidum cuius materia eſt lactuca; doſis autem lactucæ eſt quantum agēdum, & ideo quantum agendum reſpicit materiam remedij, non autem indicans, notate autem dicere Gal.5.M.4. in duris corporibus plus aloes eſſe miſcēdum, in mollioribus corporibus plus thuris, quod dictum non pertinet ad rem noſtram, ſed potius ad compoſitionem medicamentorum, quod admonere uolui ne credatis quantum agendum ſumi, uel à duritie, uel à mollitie corporum. Ibi igitur proponit quantitatem, & aloes, & thuris, non reſpiciens ad methodum medēdi, ſed ad methodum com-

ponendorum medicamentorum. Intelligatis igitur per quantum agendum dosin materiæ, lactucæ, endiuiæ, & oportet ob id per quantitatem intelligere, quantitatem continuam nõ quãtitatem discretam, ego dico quod sentio, uos iudicabitis. Excluditur quantitas discreta, nam si uerbi gratia, uti uoluerimus lactuca pluribus uicibus, hoc non pertinet ad quátum agendum, sed ad quando agendum, in febri, uerbi gratia, uti uolumus lactuca: Quare utimur pluribus uicibus? bis, ter, quater uti mur: quia prima uice non est expugnata febris, sed perseuerat febris præsentia, quæ prę- sentia cum sit causa, ut rursus utamur lactuca, pręsentia non indicat quantum, sed quando agendum, quare per quantitatem oportet intelligere dosin, quantitatem continuam, nõ discretam, hoc autem quantum agendum indicatur ita ab actione, hoc est dosis, ut cum detur summa dosis, mediocris dosis, & minima dosis, summa dosis indicatur à summa actione morbi, mediocris dosis à mediocri actione morbi, minima dosis indicatur à minima actione indicantis. Sed animaduertite si quandoq; contingat summam esse actionem morbi, ut propterea indicetur summa dosis, non licet tamen semper medicamentum administrare in summa dosi, quia præter actionem summam indicantẽ requiritur etiam uir tus permittens, uirtus robusta: hanc ueritatẽ

Nota.

explicauit

explicauit Galen.9.M.14.licet illa authoritas 9.M.14
possit duplicem sensum habere, quomodocũque intelligatis, ego uos non reprobabo: dicit Galenus quantum accipere oportet ex conferendo morbum cũ naturali habitu, ut quantò morbus à naturali habitu recesserit, tantum oportet refrigerare; primus sensus, qui mihi non displicet, est ut Galenus uersetur circa quid agendum specificum, circa quid agendũ determinatum, quod indicatur à gradu morbi, qui gradus cognoscitur ex naturali habitu, ut significare uoluerit Galenus, opus esse tantum refrigerare in secundo gradu, uerbi gratia, prout factus est recessus à naturali statu. Secundus sensus esse potest, (vt cognoscatis me nolle fugere) admittamus Galenum versari circa quantum agendum, circa dosin materiæ, ita est intelligendus Galenus, ut ea quantitas sit administranda prout indicatur ab actione, hoc est, prout actio est, uel magis, uel minus intensa, quam intensionem, & remissionem indicat tanquam signum recessus à naturali statu, nam quanto maior est recessus, tanto hic recessus est signum intensioris actionis uehementioris actionis. Vnde iuniores hoc memoriæ mandent, idem non nisi tan tum unum indicare, sed unum posse, & indicare quid agendum, & esse signum alterius indicantis, repeto, unum non nisi unum indicat, sed unum potest indicare, & potest esse

ſignum alterius indicantis,ut uerbi gratia,receſſus à naturali ſtatu, indicat remediũ quid agendum in tali gradu, idem receſſus poteſt eſſe ſignum alterius indicantis, hoc eſt actionis,quæ indicat quantum agendum, idem eſt ſtatuendum de materia, qui modus reſpicit materiam,quemadmodum, & quantum.

LECTIO XVIII.

De Qvomodo.

De morbo diximus, qua ratione concurrat ad indicandum quantitatẽ agendi, ſequitur ergo ut ſermo fiat pariter de morbo, ut indicat quomodo agendum, ſed in primis oportet explicare, quid intelligere licet per modum agendi, modus agendi cum ſit pars rectæ adminiſtrationis, quemadmodum etiã quantitas agendi,idcirco perpenditur natura materiæ auxilij, ratione materiæ,quę eſt materia auxilij indicati ab eſſentia indicantis,ut maxime ſint uituperandi illi, qui confundunt vſum cum quid agendum,ut uerbi gratia,frigidum,ut duo,non eſt quãtum agendum, ſed eſt quid agendum,ſed ſpecificum, cuius materia,uerbi gratia,eſt lactuca,ut quantũ ſit quãtitas lactucæ,& proinde modus agendi,ſimiliter pertinet ad lactucam ad materiam remedij.Multiplex autem poteſt eſſe hic modus,ut pertinet uel ad ſubſtantiam, uel ad qualitatẽ materiæ : verbi gratia,ad ſubſtantiã,quomodo utimur lactuca uel in ſubſtãtia ſolida, uel

in ſubſtantia flaccida, quemadmodum, & utimur quandoq; Rhabarboro in ſubſtantia ſolida, in pillulis, quandoq; ſubſtãtia liquida.

Pertinet etiam modus agendi ad qualitatem alteratiuam, ad qualitatem motiuã. Quo ad qualitatem alteratiuam, uti poſſumus lactuca actu calida, uel frigida. Lactuca potentia eſt frigida, ſed actu adminiſtrari poteſt modo calida, modo frigida, & hoc pertinet ad modum quo ad qualitatem motiuã. Ego poſſum uti lactucæ decocto, uel in modũ ſtillicidij, uel citra ſtillicidiũ applicãdo lactucã. Conſtat igitur quid intelligere oportet per modum agendi, hic modus agendi eſt indicatum; ergo debet indicari ab aliquo indicante. Quid eſt hoc indicans? nequaquã poteſt eſſe eſſentia morbi, quia morbi eſſentia ſiue generica, ſiue ſpecifica, quomodocunq; capiatur, nihil aliud indicat, quàm quid agẽdum. Modus agendi non eſt quid agendum, & ob id non poteſt indicari ab eſſentia, indicatur ergo ab eo quod conſequitur eſſentiam morbi, hoc autem non eſt actio, quia unum non niſi unum indicare poteſt, actio indicat Quantũ, eſt ergo morbi paſſio, à qua indicatur modus agendi. Fundamentum huius ueritatis eſt: prҽterea quod medicamentum uario modo agit, hoc eſt, modo magis modo minus efficaciter agit, ut uario modo adminiſtratur, uerbi gratia, medicamentum refrigerans efficacius

agit, ſi actu frigidum adminiſtratur, ad eundem modum medicamentum calefaciens efficacius calefacit, ſi actu calidum adminiſtratur, & ſic de reliquis. Sed admoneantur iuniores, ut non confundantur Galeni authoritatibus, & uos ſcitis, ut mihi non credatis, ſed diligenter perpendatis Galeni authoritates, & ſane eſt maximo dedecore, alios improbare, & eorum ſententias non recte aſſequi. Galenus 3.M.vlt. dicit, ſi membrum fuerit exqui-
3.M.vl. ſiti ſenſus, indicatur medicamentum lene, nõ aſperum, ut eſt oculus, ſtatim qui in ſuperficie intelligit Galenum, & rei naturã aſpernatur, dicent medicamentum lene non aſperum indicari ab exquiſito ſenſu. Galenus dicit, ſi fuerit exquiſiti ſenſus, ſicuti oculus, oportet uti medicamento leni, quare modus agendi non indicatur à paſſione, ſed ab exquiſito ſenſu, quod falſiſſimum eſt, quare locus ille ita eſt intelligendus, ut ſpectet non ad methodum curatiuam medendi, ſed ad methodum componendorum medicamentorum, oportet ut artifex, qui medicamenta conficit, ita componat, ut non ſint aſpera, ſed optime lenia, gratia exquiſiti ſenſus oculi, & ideo illa authoritas ſententiam noſtram non uertit. Si deſideratis Galeni authoritatem in qua reſpicit ad modũ agendi, uideatis Gal. 13.M.vlt. ubi ait, ſi medicamentum humidum eſt adminiſtrandum, ex alto effunditur, eo modo, dum erit in

malis cerebri nõ oculi, uoluit ſignificare Gal. ſi medicamentum actu humidum ſit adminiſtrandum, in modum ſtillicidij, conuenit in malis cerebri, nõ autem in morbis oculi, ratio eſt, quia uirtus cerebri permittit, uirtus oculi prohibet. Declaro, quantum attinet ad medicamentum in modum ſtillicidij, indicari etiã in morbo cerebri, & in morbo oculi, quantũ ſpectat ad paſſionem indicantem. Do exemplum propter iuniores, verbi gratia, ſit intemperies frigida in habitu cuius paſſio ſit difficilis, & hęc intemperies frigida occupet cerebrum, occupet oculum, ratio demonſtrat, ut & ratione intemperiei frigidæ cerebri, & ratione intemperiei frigidę oculi, utamur medicamento calido in modum ſtillicidij, quia in utroq; morbo paſſio eſt difficilis, ueruntamẽ per indicans requiritur etiam permittens, & uis cerebri permittit ſtillicidium, uirtus oculi prohibet. Hanc ueritatem proponit Gal. loco citato, ubi dicit eſſe utendum medicamento, quod ex alto cadit in morbis cerebri, quia in capite eſt oſſea ſubſtãtia, & ſanitas, unde qui eſſent imprudentes, & addicti ſolum uerbis Galeni, ſtatim dicerent oſſeam ſubſtantiam cranei, & ſanitatem cranei permittere, quod eſt falſum, quia unica uirtus permittit, unica uirtus prohibet in oculo. Declaro, oſſea ſubſtantia eſt ſignum uirtutis permittentis, nam dum cerebrum in affectu intemperie frigida,

&

& stillicidium administratur supra suturam coronalem, virtus quia adest ossea substantia permittit, sanitas etiã à Galeno proposita est signum vittutis permittẽtis, vnde sanitas non permittit, sed est signum virtutis. namq; cum sanitas sit in parte sana, non lædit, & idcirco hæc sanitas est signum virtutis permittentis. Et propter iuniores declaro: sit aliquis affectus intemperie frigida, & in habitu, sit substantia cerebri, huius passio indicabit stillicidium, sed contingit vt secundum cutim pertinentem ad suturam coronalem sit vlcus, quomodo poteritis vti stillicidio? præterea quod non adest sanitas, adest ęgritudo, vlcus, quod vlcus est signum virtutis prohibẽtis, at quantum attinet ad oculum, dicit Galenus loco citato, nõ esse vtẽdum stillicidio in morbis oculorum, quia substãtia est mollis, oculus ægrotat, & ideo dicatis stillicidium non prohiberi à mollicie oculorum, non prohiberi ab ægritudine oculorum, sed dicatis, hæc duo sunt signum virtutis prohibentis stillicidium; quod non indicatur ex passione morbi oculorum.
13.*M*.12 Præterea dicit Gale. 13. M. 12. si epar inflammatione laborare incipiat, medicamentum actu frigidum non applicabitis, at si artus, vel crura, vel brachia laborare incipiant inflammatione licet applicare medicamẽtum actu frigidum, vnde in inflammationem iecinoris non applicabitis actu frigida, applicabitis in

inflam-

inflammatione brachij, Declaro hæc verba, loquitur hic Galen. de recta administratione; hoc est de modo secundum quem debet administrari medicamentum reprimēs: qui modus à nullo alio indicatur, quam à passione materiæ imprimendæ, & licet hic modus sit potius indicatum præseruatorium quam curatorium, licet tamen claritatis doctrinæ gratia hoc in loco proponere, loquitur ergo Galenus de modo secundùm quem in inflammatione debet administrari medicamentum reprimēs, qui modus à nullo alio potest indicari, quàm à passione materiæ reprimendę, & possibile est vt quantum attinet ad materiam reprimēdam, & in epatis inflammatione & in brachij, materiam adesse reprimendam, cuius passio sit adeò difficilis vt indicet reprimens actu frigidum, sitq; medicamentum reprimens quo frigidius est non modò potētia, sed actu, eo valentius reprimat, quare reprimens actu frigidum ita potest indicari à passione materiæ in inflammatione epatis, sicuti etiam à passione materiæ in inflammatione brachij, & ob id Galenus loco citato respicit non ad indicans sed ad prohibens, ad permittens vt prohibens locum habet in inflammatione iecinoris, permittēs autem in inflāmatione brachij. Declaro virtus est, quæ potest prohibere, & permittere, uirtus epatis prohibet pronū, & supponatis, quia hæc ueri-

tas

tas declarabitur in ſermone de uirtute, uirtus inquam epatis prohibet, prohibet primo calor naturalis epatis, qui non poteſt ſuſtinere actu frigidum, non prohibet autem uirtus brachij. Præterea quod in brachio naturalis calor permittit actu frigidum. Statuatis igitur modum agendi indicari tantum à paſſione morbi, quemadmodum dictum eſt à Galeno, de modo.

De Qvando.

IDem eſt ſtatuendum de quando, & iuniores aduertant quando agendũ ſiue tempus oportunum poſſe accipi uel ratione unius materię medicinalis, uel ratione plurium, & ſi ratione plurium, uel in unico affectu uel in pluribus. Declaro cauſa unius materiæ, ut uerbi gratia, qñ inſtitutũ noſtrum eſt aquam frigidam exhibere, & hoc quãdo agendum eſt, Gal. lib. ad Thraſyb. 37. duplex eſt, aliud generale aliud particulare. per generale intelligit Galenus unum ex quatuor morbi temporib. hoc eſt uel principium uel incrementum, intelligit Galenus horam, dicit Galenus ut ſcire expediat ex quo morbi tempore & qua hora diei eſt exhibenda frigida, cauſa uidetur plurium materierum & primum in unico affectu hunc in modum intelligitur: uerbi gratia eſt opus uti endiuia, Nymphea, lactuca, quę ſunt materiæ refrigerãtes, inuicem tamen diſcrepant, ut altera ſit remiſſa ut endiuia, altera

Ad Thraſyb. 37.

intenſior ut Nymphæa, expedit ut medicus cognoſcat, an primum licet exhibere Endiuiam an Nymphæam.

Poſtremo cauſa plurimorum affectuum hunc in modum quando agendum intelligere oportet, ut uerbi gratia ſi licet uti cauſa febris aqua frigida, cauſa materiæ uenæ ſectione, cauſa uirtutis uel carne uel uino, expedit ut medicus cognoſcat an primo uti licet uel hac uel illa materia, & horam inquirere, ordinem agendi, unde ſunt in errore illi qui credunt, ordinem agendi eſſe quid aliud à Quando agendum.

LECTIO XIX.

DE ORDINE AGENDORUM.

CVm intelligitur Quando in pluribus affectibus & pluribus materiebus uerbi gratia, ſi aliquis febricitet, cauſa febris inſtitutum eſt vti frigida, cauſa ſanguinis venę ſectione, cauſa virtutis, verbi gratia, carne, expedit vt medicus cognoſcat ordinem agendorum, vt ſcilicet cognoſcat, an primum uti licet uel frigida uel uenæ ſectione, uel carne, Galenus appellat ordinem agendorum, ſed nihil aliud eſt quam Quando agendum. His hunc in modũ cõſtitutis, cum appareat quidnam intelligere oportet per quãdo agendum, videmus modo à quo indicetur, & quẽmadmodum pauci hanc veritatem cognouerint, ita libenter à nobis explicatur. Colligimus ex

Galeno

Galeno ad Thrasybu.cap.37.& cap.38.Quãdo agendum ab vno tantum indicari,hoc est à præsentia,quæ consequitur essentiam vehementiorem Indicãtis, quam veritatem significat Galenus dum ait, quando agendum indicatur à præsentia indicantis, & ab essentia prohibentis, primo intuito videntur esse duo indicantia, hoc est videtur esse præsentia indicantis,& absentia prohibentis, recte intelligatis,quia dicit Galenus, Quando agẽdum indicari à præsentia indicantis,hoc est vnum, & absentia prohibentis,hoc est aliud, secundum.Sed unum,non nisi ab uno indicatur,& quodlibet indicatum indicatur à præsenti, quare non ab essentia prohibentis,& ideo ita est intelligendus Galenus, ut Qeando agendum indicetur tantum à pręsentia indicãtis. Sed quæ est hæc præsentia? est præsentia quę confert essentiam vehementiorem Indicantis, quæ locum habet quando non adest prohibens, locum habet hæc pręsentia vehemẽtioris indicantis quãdo non adest prohibens, nam dum adest prohibens,id quod impedit, qnod impedit,quod est præsens,& prohibẽs, habet rationem uehementioris indicantis, quia secus non prohiberet, quare idem prorsus est dicere quãdo agendum indicari à pręsentia indicantis & ab essentia prohibentis, acsi diceremus quando agendum indicari à præsentia quæ consequitur essentiam vehementio-

mentioris Indicantis. Sed notate hanc præsentiam vehementioris indicantis cognoscere ratione temporum vniuersalium, non esse ita adeò difficile, at ratione temporum particularium esse difficillimam, vt nec scribi possint tempora particularia, & ratio est, namq; plurima concurrunt ad hoc, ut cognoscimus nō quo tempore vniuersali, sed qua hora, quo tempore particulari sit vena, uerbi gratia, secanda, nam licet possimus uenam secare ante cibū, non tamen semper eadem hora, quādoque illico ante cibum, quandoque post horam ante cibum, quandoque per duas horas ante cibum.

Prçterea alij ægrotantes, vt dicit Galenus locis citatis post venam sectam egent somno, alij nō, vt plurima ac fere innumera sint perpendenda, vt cognoscatis horā egēdi, tempus particulare, sed siue sit tempus particulare, siue vniuersale, ab vnico tantum indicatur hoc est à præsentia indicantis uehementioris.

DVBITATIO.

SEd iunior dubitabit, quia Galen. 7. M. 6. ad uenandum Quando agēdum, adcogitādum quando agendum opus esse ait naturarum inspicere proprietates, unde subdit Galenus noui quosdam, ut si noctu uigilare cogantur non amplius dormiant, quare inquit Galenus, ijs ut noctu bibant consulendum non est, ecce Quando agendum hoc est, *7. M. 6.*

potio an debeat exhiberi tempore nocturno necne, & proinde quando agendum indicari uidetur à proprietatibus naturalibus.

SOLVTIO.

DIcatis quando agendum à nullo alio indicari, quam à præsentia uehementioris indicantis, unde Galenus dum proponit naturarũ proprietates, proponit has proprietates ut sint signum uirtutis prohibentis, unde quantum attinet uerbi gratia ad indicãs, deberemus tempore noctis dare syrupũ potũ: Sed si exhibeatur potio Socrati, cuius est illa proprietas, ut dum cogitur uigilare non possit postea amplius dormire, dubio procul uires sunt debiles. Ideo hæc proprietas est signum uirtutis prohibentis. Vnde hoc loco iuniores hãc doctrinam recte assequantur tria sunt explicanda. Primùm, quemadmodum patet, Quando agendum ratione unius materiæ: Secundò quomodo fiat manifestum Quando agendum ut est diuersarum materierum, sed in unico tantùm affectu: Tertiò & ultimo quomodo apertum fiat quãdo agendum, ratione diuersarum materierum & in pluribus affectibus, ut his tribus cogitatis nullus relinquatur scrupulus circa Quando agendum.

1. Quando agendum ratione vnius materi.

QVo ad primum, uerbi gratia in febri ardenti utimur frigida circa statum circa ui-

ca uigorē, & ratio eſt quia eo tempore febris præſentia magis poteſt ad indicandum aquā frigidam, quam materiæ cruditas ad prohibendum. ecce utimur circa ſtatum frigida, quia indicans eſt uehementius prohibente, quia adeſt pręſentia indicantis uehementioris, Vnde Galenus primo ad Glaucum 9. dicit in balneo admodum delectantur, ſi bis in die lauent, non errabis, & addit Galenus, ſed illud ſemper habeatis in memoria vt in tempore id fiat: Subdit pręterea, ſi uerò etiam coctionis ſigna aderunt, ſi etiam ſæpius laueris, non delinques non errabis. Galenus his uerbis proponit Quādo agendum ratione unius materiæ, hoc eſt ratione balnei in tertiana intermittente exquiſita exacte, ut balneum ſit materia remedij refrigerantis, humectantis & uacuantis, ut indicans ſit febris quæ indicat refrigerans & humectās, ſit materia quæ indicat uacuans. quare quando agēdum hoc in loco, debet indicari à præſentia febris, à præſentia materiæ, quæ duo ſunt præſentia & ſemper ſunt exiſtēte febre, quare licet uti balneo, & licet uti balneo cū Galeno bis in die, ſi homo delectetur, ut delectatio ut uoluptas hoc in loco non ſit indicans, ſed ſignum uirtutis permittentis. Præterea eſt eligenda hora qua nec cibus, nec acceſſionis materia prohibeat nec cruditas materię, ut præterea Galenus non ita utatur balneo in capit. 10. in

1. ad Glauc. 9.

De Balneo.

cura tertianę nothę, quemadmodum in cura tertianæ exquisitæ. Præterea quod in tertiana notha, cruditas prohibet, in exquisita nõ prohibet, & ob id dicit Galen. si vero etiam coctionis signa aderunt, etiam sępius lauare expedit, nam dum sunt signa coctionis, sunt signa quæ indicantur, quæ manifestantur pręsentia indicantis à qua præsentia indicatur Quando agendum.

II. Quando agendum ratione plurium materierum in vnico affectu.

QVo verò attinet ad secũdum quod erat cognoscere quando agendum ratione materierum, sed in vnico affectu, etiam hoc in loco eadẽ veritas habet locum, vt quando agendum dessumatur à pręsentia vehementioris indicantis, ut si contingat esse vehementius, tutius sit à vehementibus inchoare, si contra. contra hanc veritatem proposuit Gal. 5. Meth. vlt. dum habet in quibus periculum non impendet, non imminet, inchoandum a leuioribus, quæ nisi proficiunt ad validiora ascendendum, at subdit Galen. vbi ægroto moriendum est, ubi periculum est mortis, nõ inchoandũ à mitiorib. sed à ualentiorib. Pręterea ꝙ adest pręsentia admodum uehementis indicantis, unde idem Gal. 14. Meth. 13. dicit in columellæ uitio primo ad naturam reuocare tendandum, si non licet, prorsus amputare oportet, ecce proponit materias

terias medicinales tãquam debiliores, & materias chirurgicas materias amputantes tanquã ualidiores, si nos cognoscimus columellę uitium non esse admodum vehemens, licet uti medicamento, sed si cognoscimus collumellæ uitium esse uehementissimũ ut nõ cedat materię medicali, quam primum ad materias amputantes ad chirurgiam debemus cõfugere, & hoc faciendum est à medicis, qui optima conscientia sunt præditi, quia dubio procul magis lucrabimini si primo utemur, sed hoc est munus latronũ, non medicorum.

111. *Quando agendum in diuersis materijs & affectibus.*

AD ultimũ quod erat cognoscere Quando agendum in diuersis materiebus & diuersis affectibus, sciẽdum ex Galeno primo Meth. 9. contraria indicantia quandoque uno tempore locum habere, quandoque diuersis temporibus. Vno tempore ut in ulcere partis humidioris, utimur eodem tempore siccis & humidis, utimur siccis ratione materiæ excrementitiæ, quæ est indicans præseruatorium, humido uerò ratione partis, quæ pars secundum naturam habet temperiem humidam, temperies humida indicat humidum, quia indicat sui conseruationem, & rogo iuniores ut à se infelicitatem illam arceant, ne credant cum natura partis ulceratæ, cum temperies partis ulceratæ habet

uim indicandi, ne credant hanc naturam hāc temperiem esse Indicans curatorium, quia curatorium indicat contrarium, sunt nugæ, natura partis similem sui custodiam indicat, ad rem, cum ergo licet eodem tempore quādoque contrarijs uti, non uno autem tempore, cum Galeno loco citato, si hæc quæ inuicem perpenduntur, habent rationem uel causæ principalis, uel sine qua non, uel urgentis, & ratio huius ueritatis est, quia ubi indicantia non æque possunt, oportet materias administrare diuersis temporibus, secus autem ubi æque possunt Indicantia: Vbi non æque possunt diuersis temporibus, unde loco citato dicit Galenus, ordinem sanationis seu tempus inuenies, si ad hæc tria respexeris, uerbi gratia, in ulcere id quod habet rationem causæ principalis est temperies, est natura, illa enim est quæ carnem generat, causa sine qua non, cum Galeno loco citato est sordities, cauitas, nam licet pars ulcerata sit temperata, non sit intemperie affecta, morbosa, tamen non potest ulcus remoueri, nisi remoueatur sordities, nisi cauitas repleatur, habet autem rationem urgentis, ut uerbi gratia, si in ulcere fuerit conuulsio. Vnde iuniores hoc in loco intelligere debent alterum, quodnam sit ex his tribus, quod magis possit, reliquum à iuuenibus cogitandum est, quomodo hæc tria concurrant ad indicandum Quando agendum.

De Vrgente.

dum. Quo ad primum ſpectat, Vrgens magis poteſt quàm reliqua, Vrgens eſt anteponendum & cauſę principali & cauſę ſine qua nõ.

LECTIO XX.

ET ratio eſt, ſi inuicem conferantur quod vrget quod habet rationem cauſæ principalis, quod habet rationem cauſæ ſine qua non, quod habet rationem morbi, ſtatuẽdum eſt id quod urget eſſe reliquis anteponẽdum, & ratio eſt, quia imminet periculum & mors, vt neceſſarium ſit uel affectum inſanabilem relinquere, ut uerbi gratia, ubi eſt ulcus cum luxatione, oportet luxationem dimittere, quãdoque etiam cogimur, dicit Galenus, nouum affectum inſanabilem excitare, verbi gratia, ſi ſanguis immoderate fluat, cogimur uas abſcindere, id eſt, venam uel arteriam, & ob id nouum affectum inſanabilem producere. Patet igitur id quod vrget eſſe vehementius reliquis, ſi verò inuicem comparemus cauſam principalem, & cauſam ſine qua nõ, primum locum obtinet cauſa principalis, ut primo ſit occurrendum cauſæ principali, mox autem cauſę ſine qua non.

De Cavsa Principali, Et causa ſine qua non.

SEd admoneantur iuniores quid intelligere oportet per cauſam principalem & cauſam ſine qua non. Non enim intelligimus cauſam, ſine qua non poteſt tolli cauſa prin-

cipalis, quia secūdum hanc rationem in primis esset occurrendum causæ sine qua non: igitur primum remouēda causa sine qua nō, quare ita intelligatis Galenum, ut dum inuicem comparamus causam principalem, & causam sine qua non, ita cōparamus, ut utraque causa dirigatur ad morbum, ut cū morbus habet causam principalem, morbus habeat causam sine qua non, in primis est occurrendum causæ principali, ut si accipiatur causa sine qua non, ut refertur non ad morbum, sed ad causam principalem, in primis sit occurrendum causæ sine qua non, & ideo debetis recte distinguere, propter iuniores do exemplum, sit ulcus quod habet coniunctam inflammationem, sorditiem, & cauitatem, nos in primis studemus remouere inflammationem ut introducatur temperies, quæ habet rationem causæ principalis, secundo tempore occurrimus sorditiei, cauitati, hoc est causæ sine qua non, postremo solutæ unitatis, tandem si conferatur causa sine qua non, non cum urgenti, non cum causa principali, sed cum morbo, dubitandum non est, in primis esse causæ occurrendum, deinde uerò morbo, quia patet magis posse causam sine qua non, quam possit morbus. hæc de primo explicando.

SECVN-

SECVNDVM.

QVo ad ſecundum, quod erat declarare, quomodo hæc conferunt ad indicandum tempus curationis, ſciatis conferre hæc omnia ſolum per præſentiam, quia quando agendum à ſola præſentia indicatur, vt ſi inuicem cõferamus hæc quatuor, hoc eſt urgens principalem cauſam, cauſam ſine qua non, & affectum, ſi hæc inquam conferamus penes uehementiam primum locum cum obtineat Vrgens, id eſt, cum ſit uehementius redditum, ita huic primo occurendum, quod cognoſcens Galenus dicit 10. Method. capitulo primo, licet cauſa in primis ſit reſpicienda, aliquando tamen febris, hoc eſt, morbus affectus perniciem minatur, ut febri primum ſit occurrendum, ecce prius occurrimus febri quàm cauſæ, quare febris habet rationem Vrgentis, & cum quando agendum indicetur à præſentia eſſentiæ uehementis & febris perniciem minetur, febris habet rationem Vrgentis, præſentia febris conſequitur eſſentiam uehementiorem, hac de cauſa in primis conſulendum febri quàm cauſæ. Eandem ueritatem propoſuit Galenus quarto Method. quarto & facile ex uobiſmetipſis illam autoritatem intelligere poteritis, ſed propter iuniores notetur ex Galenō ſeptimo Method. duodecimo, cum in pluribus affectibus quandoque tria ſint, hoc

10.*M*.1 · 4.*M*.4. · 7.*M*.12

eſt,

est, vrgens, principalis causa, causa sine qua nõ, ex Galeno Vrgens indicat quam primum esse agendum, quia imminet periculum, deinde causa principalis, quoniam ex Galeno habet rationem causæ efficientis, & augentis affectum, quo verò ad causam sine qua non, dicit Galenus huius causà respiciendum esse ad id, quod ordo dictat, præscribit.

De Ordine.

Qvid dictat Ordo? inquit Galenus loco citato, Ordinem pręscribere quid ante quod, quid cum quo, & quid post quid, & omnia pertinent ad methodum vt versatur circa Quantum agendum. Hoc dictum non est vsq; adeo facile intellectu, ideo propter iuniores est explicanda hæc autoritas, sciendum igitur Galenum per Ordinem intelligere ordinem causarum inter se, verbi gratia, ut non recedamus ab exemplo proposito à Galeno, verbi gratia, pituita potest accipi vt generatur in cerebro, secundò accipitur pituita ut descendit à capite in ventriculum, tertiò capitur pituita ut iam est impacta in tunicis uetriculi, ut effecerit produxerit morbum frigidum in ventriculo, quo fit ut Ordo præscribat, quid ante quod in duabus causis, verbi gratia, primum occurrendum materiæ vt generatur in capite, deinde ut fluit, constituit quid post quid in pluribus causis quàm in duabus, vtpote in tribus, ut uerbi gratia,

primo

primo occurrimus pituitæ, vt generatur in cerebro, permanent duæ causę, pituita quę fluit & pituita impacta, quare occurrimus primũ pituitæ fluenti, deinde impactę, quod est perpendere quid post quid.

Nota de ordine admonendarum materierum.

SEd iuniores hoc loco admoneantur, quo modo Ordo concurrat ad indicandum Quando agendum, nam Quando agendum indicatur solum à præsentia non ab Ordine, quia dum Galenus dicit Ordinem dictare, præscribere, quid ante quod, Quando agendum, accipit Ordinem in ratione signi. Declaro, nam si Ordo nobis significat vehementiam & intensiorẽ & remissiorem, verbi gratia, primùm sanandum cerebrum, secundò vacuandus ventriculus, tertiò tunicę mudandæ, quartò calefaciendus ventriculus refrigeratus, unde Ordo inter causas est signum, nobis significat hanc pręsentem causam esse vel magis uel minus uehementem, & postea ab hac præsentia nõ ab Ordine, ab hac inquam præsentia indicatur Qunndo agendum, ut hoc perpetuum sit, Quando agendum à pręsentia indicari.

De Vbi.

QVo ad Vbi agendum indicatur à subsistentia, ut consequitur essentiam Indicãtis, verbi gratia, in febri balneum dulcis aquæ applicatur toti corpori, propterea

rea quod febris habet subsistentiam in toto
12. Meth. vlt. corpore, vnde Galen. 12. cap. vlt. dicit, si mordax humor consistat, subsistat in intestinis, medicamentum oportet iniicere per sedem, quod eluat mordacem humorem, ecce ergo quemadmodum Vbi agendum indicatur à subsistentia humoris, à subsistentia indicantis. Sed notate propter iuniores fuisse Galeni
13. M. 21 sententiam 13. Meth. 21. locum cui applicantur medicamenta inueniri ex pręnotione, cognitione, actionum & vsuum partium, unde statim rudiores homines, quos tamē ego non cognosco, inferent vbi agendum indicari ab actione, ab vsu partium, quia sine dubio Gal. hoc in loco respicit ad ubi agendum, cum loquitur de medicamento quod debet loco applicari, & uoluit inueniri ab actione ab usu partiū, nō ab actione, vt est symptoma, sed ab actione naturali partium, quare dicatis Gal. hoc in loco & actionem & vsum accipere in ratione signi, quod sit verum, subdit loco citato Galen. locum affectum reconditum, subdit Galen. locum affectum reconditum, internum, ad differentiam externi cognosci, ex actione & usibus, ecce accipit actionem & vsum in ratione signi, quia ut significant locum affectum, significat subsistentiam indicantis, subsistētiam à qua indicatur ubi agendum. Sed diceret aliquis, dixisse Galenū 13.
13. Meth. vlt. Meth. vltimo, quando uolueritis ut medica-
menti

menti vis plurimum deſcendat, medicamentum eſſe applicandum ſuturæ coronali, nam cranium, caluaria, hoc in loco hoc eſt, ſecundum ſedem ſuturæ coronalis, craniũ inquam tenuiſſimum, rariſſimum, & ſecundum hunc locum ut forte iunior inferat, à tenuitate, à raritate oſſis indicari Vbi agendum, dicerem igitur Vbi agendum, à ſola ſubſiſtentia indicari, à nullo alio, vt Methodus medendi ſit breuiſſima. Et uos marte proprio in unico folio poteritis totam hanc Methodum concludere. Dico igitur ubi agendum à ſola ſubſtantia indicari, at cranium hoc in loco concurrit vt prohibet applicationem medicamẽti, uerbi gratia, reprimentis medicamenti per craſſitiem & denſitatem hæc permittit per tenuitatem & raritatem, vt reprimens ſit applicandum ſuturæ coronali, quia in ea parte non adeſt craſſities, denſitas, non adeſt prohibens, ſed potius raritas, tenuitas, & proinde permittens. Sed animaduertant iuniores nec raritatem ac laxitatem eſſe permittentia, nec craſſitiem & denſitatem eſſe prohibentia ſed hæc eſſe ſigna virtutis permittentis, virtutis prohibentis.

De Cavsa Morbifica.

QVod dictum eſt de morbo idem eſt de cauſa intelligendum, unde iuniores per cauſam intelligãt cauſam morbificam ad quam reſpiciens Gal. 9. M. 6. dicit 13. M. 6

facien-

faciendorum indicationem ſumi à cauſa &
per cauſam, oportet intelligere cauſam effi-
cientem non formalem,quæ reperitur in cor-
pore ægrotante, ſiue hæc cauſa ſit genita ex-
tra corpus,ueluti pilea plūbea, quæ per bon-
bardā impellitur, veluti venenum extra cor-
pus genitum,ſed quod præſens ſit in corpore,
ideo oportet cauſam efficientem intelligere
quę eſt genita in corpore,proinde per cauſam
efficientem morbificam, oportet intelligere,
ſiue per ſe,ſiue per accidens; Declaro, per ſe,
ut cauſa morbifica, ut quid præter naturam,
diſtinguitur à morbo, diſtinguitur à ſympto-
mate,intelligimus etiā cauſam per accidens,
veluti eſt ſymptoma quod ex accidenti habet
rationem cauſæ efficientis morbificæ, & po-
teſt,vt ſuo loco cognoſcetis,eſſe actio,quę ta-
men accipitur hoc loco quemadmodum ac-
cipitur actio, ut indicat quantum agendum.

DE ACTIONE.

QVia Actio quæ indicat quantum agen-
dum, poteſt eſſe & ſecundū naturam,
& præter naturam, ut cognoſcetis,
quando loquemur de Virtute indicante, &
ideo qui libenter alios turbant, deberent in
primis mentem aliorum intelligere, deinde
uerò opportune redarguere. ad rem, in præ-
ſentia per cauſam morbificam intelligimus
etiam cauſam efficientem ex accidenti, hoc
eſt,ſymptoma,ut habet rationem cauſæ.

LECTIO XXI.

CVm causa morbifica alia propria ratione, alia ex accidenti sit causa, hoc est, symptoma, nos primum ut polliciti sumus, de causa per se indicante loquemur, deinde uerò de symptomate.

CAVSA PER SE.

QVo ad causam quæ non est symptoma, circa hanc duo: Primum erit declarare quod remedium indicatur à causa. Secundum explicandum quis usus quę recta administratio indicatur à causa.

Quoad primum à causa remedium quod indicatur est solum pręseruatorium, nõ uitale, non curatorium, quo fit uerissimum esse materiam non esse de essentia morbi, quia si materia esset de morbi essentia, materia indicaret remedium curatorium, materia autem non est de morbi essentia, pręterea quod morbus non potest esse mixtum ex accidenti & substantia, morbus est accidens non substantia, & si contingat morbum in intemperie adnexam habere materiam, hæc est extra essentiam & habet rationem causæ efficientis, ut ab hac capiatur Indicatio præseruatoria, & ob id Galen. 12. Meth. 1. dicit, à causis pręstari Indicationem prouidentię, & uos locum illum uidere potestis. Pręterea in libro ad Thrasyb. cap. 25. dicit, à causa indicari uacuationem, à causa sumi Indicationem, ut nõ

Materia non est essetia morbi.

12. M. 1

Ad Thrasyb. 25.

morbus sed multitudo hoc est causa indicat remedium præseruatorium. Præteuacuans remedium præseruatorium. Præte-
2.M.2. rea 2.Meth.2.dicit putridas febres præter curationem præseruationem sibi adiũgere: Hoc autem est causam adimere, ecce à causa sumitur indicatio præseruatiua, unde addebat Galen. loco citato à causa sumi indicationem præseruatiuam in arte tuendę sanitatis, à causa, inquam, quę est in corpore non ęgrotante, ut si causa sit in corpore ęgrotante ab hac sumatur Indicatio pręseruatiua, sed quę pertinet ad Meth. curatiuam. Notent iuniores quandoque Galen. & pręsertim 2.Meth. 14.
2.M.14 causam morbificam uocare affectum, quia nõ ita sollicitus fuit de uocibus. Constitutum igitur sit à causa efficiente sumi indicationem pręseruatiuã, ut causa morbifica indicet quid agendum, quid est remediũ pręseruatorium. Si ergo causa indicat remedium pręseruatorium, hoc est quid agendum, necessarium est, ut hoc indicet per sui essentiam, si quidem quid agẽdum à sola essentia indicatur, debet igitur indicari ab essentia causę. Causę essentia quemadmodum dictum est de morbo, & dicetur suo loco de uirtute, est uel generica, uel subalterna, uel specifica. Quo ad genericam, accipitur causa ut res pręter naturam in corpore ægrotante, morbi effectrix, quare secundum hanc essentiam genericam, indicat remedium, ad differentiam

alimenti

aliméti indicati à virtute, indicatur remediú remoués: ad differentiam remedij conſeruantis indicati à uirtute, indicatur tantum ſecundum eſſentiam genericã remediũ remouens. Quo uero attinet ad eſſentiam ſubalternam & ſpecificã cauſę morbificæ, huius gratia neceſſariũ eſt cauſam morbificã diuidere. Cauſa igitur morbifica eſt uel intemperies uel materia, ſi intemperies vt verbi gratia intemperies frigida uentriculi in febri pituitoſa ut habet rationẽ cauſæ generantis pituitam, generantis materiam febris, indicat calefaciens, unde Galen. 2. Meth. 1. dicit ſæpe aſſcititiã intemperiem ad efficientes cauſas reduci, & ob id indicationem illis concedere pręſeruatiuam: Si vero ex altera parte ſumitur materia, hæc maiori cum diligentia eſt diuidenda, ut pateat eſſentia & ſubalterna & ſpecifica, namq; intemperiem ex vobiſmetipſis facile poteſtis diuidere, cum diligentia igitur tradenda eſt materiæ morbificæ Diuiſio, & præſertim quia dicit Galen. 10. Meth. 1. in febribus cauſam habentibus primã Indicationem ſumi à cauſa, intelligant iuniores primam Indicationem nó ratione dignitatis, quia hæc ſumitur à uirtute, neque iuniores intelligãt primam ratione inuentionis Indicationum, quia primum locum obtinet morbus, & ideo intelligatis primum, ratione temporis, ut in executione primum ſit abſoluenda Indicatio, quæ ſumi- 10. M. 1

2.M.16 tur à causa, & ob id dicit Galen. 2. Meth. 10. Indicationem sumptam à febre esse primum & ultimum, ratione indicationis, quæ sumitur à causa, voluit esse primum ratione inuẽtionis, ultimum ratione executionis, vltimum ratione administrationis materierum; Cum igitur diligenter sit tradenda Diuisio causæ morbificæ, operæ precium est in primis materiæ morbificæ. Definitionem tradere, propterea quòd nisi tradatur Definitio rei diuidendæ, impossibile est, ut diuidendo non committatur error.

Hæc igitur ut puto potest tradi materiæ Definitio.

Definitio materiæ morbificæ secundum Capiuacceum.

Materia morbifica est mixtũ prẹter naturam lædens hominem ægrotãtem. Declaro hanc definitionem, cum materia sit mixtũ, ex necessitate est substantia, est autem mixtum præter naturam ad differentiã mixti secũdum naturam, ut uidelicet est epar, quod est mixtum secundum naturam, est etiã mixtum secundum naturam ad differentiam rei seu mixti non naturalis, ut uerbi gratia panis qui antequam assumatur non habet locum causæ morbificæ, sed rei non naturalis, at ubi est ingestus cibus, & offendit, est mixtum prẹter naturam, & propterea habet rationem causæ morbificæ: Deinde dictum fuit (lẹdẽs hominem)

hominem) ad differentiam materiæ, ut poteſt lædere bruta, primo dictum fuit (ægrotátem) ad differentiam illius materiæ, quæ lædit & eſt pręter naturam, ſed in corpore nondum ægrotánte. Hinc ſequitur ut diſtinguitur materia morbifica, quę in præſentia à nobis perpenditur, in Meth. medendi à materia morbifica quæ locum habet in arte tuendæ ſanitatis, quia in arte tuendæ ſanitatis, lędit quidem hominem & poteſt etiam lędere, ſed non ęgrotantem.

Differentiæ materiæ morbificæ.

EX hac definitione facile eſt colligere differentias eſſe deſumendas; Primú a materia ut eſt mixtum; Secúdò ut eſt pręter naturam, Tertiò ut lędit hominem ægrotátem.

I.

VT EST MIXTVM.

QVantum attinet ad primũ ut eſt mixtũ, ut eſt ſubſtantia corporea, eſt uel uapor, uel minera. Vt eſt uapor, indicat remedium remouens materiam morbificam, huc vſque eſt quid agẽdum genericum, addatis per inſenſiles meatus, vapor igitur indicat remediũ uacuans per inſenſiles meatus, cõtrà autem minera per ſenſiles meatus, ut nullo modo poſſit minera euacuari, niſi per ſenſiles meatus, niſi minera conuertatur in vaporem, tunc autem non indicat amplius vt minera, ſed ut uapor, hanc ueritatem co-

13.Meth.16. gnouit Galen.13.Meth.cap.16.ubi habet uacuationem fieri per meatus uel ſenſiles, uel inſenſiles, unde improprie loquuntur Medici,quando dicunt, vacuationem eſſe uel ſenſilem, uel inſenſilem, nam vacuatio quę fit per ſudorem,eſt uacuatio ſenſilis, ſudor conſpicitur, tum fit per poros tum fit per meatus inſenſiles,& ob id Galen. recte dicit, vacuationem fieri per meatus uel inſenſiles, uel ſenſiles, ut cum uapor indicet remedium uacuans per inſenſiles meatus, ſi fortaſſe uapor fuerit pituitoſus indicabit ſpecificum remedium, indicabit remediũ vacuans per inſenſiles meatus uaporem pituitoſum, & ſic de reliquis. Si verò fuerit minera, hæc indicat uacuans per ſenſiles meatus, hæc autem minera uel eſt animata vt vermis, lumbricus, caro,monſtrum & ſimilia,vel minera eſt inanimata,& eſt uel ſolida ut calculus, pila plũbea,feces duriores, eſt autem liquida uel alimentalis ut chylus, ſanguis, uel excrementitia,ut humores excrementitij,ſemen, lotium, ſanies,acores, feces liquidiores, & alia id genus, quæ omnes mineræ in genere ſunt mineræ & proinde in genere ſubalterno indicant remedium uacuans per meatus ſenſiles: *Quælibet vniuerſia.* at quælibet minera indicat uacuans determinatum, vt uerbi gratia, ſanguis indicat vacuans ſanguinẽ & quęlibet indicatio eſt pręſeruatiua,unde Galen.in arte medicinali cap. *Arte med. 99.* 99.di-

99. dicit Indicationem præſeruatiuam pręcipue capi ab humore, dixit pręcipue, non quia ab alijs mineris non capiatur Indicatio præſeruatiua, quia à quacunque minera morbifica ſumitur Indicatio præſeruatiua, ſeddicit præcipue, quia frequentius ſumuntur indicationes ab hum oribus, quia frequentius peccant humores quam calculi, quam reliquę mineræ ut hinc pateat indicationem genericam euadere ſpecificam, ut deſcendimus in hanc & illam mineræ ſpeciem, ut uerbi gratia bilis indicat euacuationem bilis, quare Galen. 14. Meth. 17. dicit curationem inueniri ex ſpecie humoris, non dicatis, ut dicerẽt qui in ſuperficie tantũ intelligunt Galenum, per curationem opus eſſe intelligere Indicationem curatiuam, quia Indicatio curatiua ad differentiam præſeruatiuæ non ſumitur à ſpecie humoris, quia ſi ab humore ſumitur Indicatio præſeruatiua, ergo & à ſpecie humoris, nam ſi genus eſt Indicans præſeruatorium, & ſpecies ſub illo genere contenta eſt Indicans pręſeruatorium, quare Gale.ita intelligatis, vt per curationem intelligat Meth. curatiuam, quã in his libris profitetur, ut hæc curatio inueniatur ex ſpecie humoris, vt ratione finis communis poſſit uocari Indicatio curatiua, ſed ratione finis proprij, hoc eſt ratione remotionis humoris ſpecifici ſit Indicatio pręſeruatiua, unde addebat Galen. in eo- 14. *M*. 7

14.Me- dem Meth.14.sed capite 18. speciem humo-
tho.15. ris cognosci ex uictu, vt verbi gratia, nos cognoscimus speciem humoris, hoc est, bilem peccantem, id est, hanc speciem ex victu procedente bilioso, & ob id ex specie humoris indicatur specificum remedium, vnde etiam Galenus 1. Aphoris. 2. cum dicit Hipp. Si talia purgentur, & reliqua. Galen. in commentarijs ait, si bilis peccat, bilis purganda, si sanguis, sanguis euacuandus, ecce quemadmodum determinata mineræ species indicat remedium specificum.

LECTIO XXII.

14.M.3 GAlenus. 14. Meth. 3. ut significaret materiam morbificam determinatam indicare remedium determinatum dicit, si purum fuerit Erisypelate bilis purganda, ecce
4.M.6. bilis indicat sui purgationẽ. Preterea 4. Meth. 6. dicit, alias sanguinem euacuabimus si sanguis vincet, alias pharmaca administranda, si alij succi vincent, quare Indicatio determinata fuerit à succo determinato, ut sanguis sanguinem uacuans indicet, & bilis bilẽ euacuans. Vnde admoneantur iuniores dixisse Galen. 4. Meth. 6. morbi magnitudinem perpendendam esse ad indicandum, non modo uacuationem sanguinis, sed etiam purgationem, ut morbi magnitudo sit signum peccati uehemẽtis materiæ, siue sit sanguis siue alius humor à sanguine.

DVBI-

DVBITATIO.

Sed aliquis dubitabit, quia Gal. 4. Meth. 6. dicit si ulcus sit morbus cum uirium robore, nemo est qui sanguinem non mittat, ut sanguinis missio non indicetur à sanguinis redundantia, sed à morbi magnitudine cum uirium robore, dicimus Galenum sermonem habere de sanguine peccante, ut si morbus adsit, qui significat peccatum in sanguine uehemens, & uirtus si robusta, sit secāda uena, licet homo sit expers redundantię sanguinis, quia potest esse peccatum in sanguine, non in quantitate, non in redūdantia, sed uel in motu uel in substantia, ut suo loco intelligetis, quare Galeni authoritas nobis non aduersatur, imo idem Galen. 13. Meth. 5. dicit, cogemur aliàs sanguinem mittere, nam indicat copia sanguinis, sicuti dicit Galen. succorum uitium indicat purgationem, & ob id idem Galenus 10. Method. cap. 10. dicit, sanguinis missionem, sectionem uenę non primarię, sed ex accidenti sanare intemperiem, quare sanguinis missio quare uenę sectio sanat intemperiem non primarię, sed ex accidenti, non alia est causa, nisi quia primum uacuat sanguinem, & ad sanguinis euacuationem remouetur intemperies, quemadmodum quandoque per uenam sectam, iugulatur febris, sanatur intemperies, quia uenę sectio à sanguine indicatur, ut pręterea Gale. 9. Meth. 2. 13. M. 5

9 M. 2. & est locus notatu dignus, dicit, venę sectionē esse adhibendā, quoniā sanguinē vacuat. Quid clarius? Cōstat igitur quid indicat causa morbifica, ut est minera, & ut est mixtum.

Deinde & secundo loco capiebatur minera, ut est mixtum, sed præter naturam, secundum quam rationem mixtum præditum est quantitate, qualitate prima, qualitate secunda, qualitate alteratiua, qualitate motiua, vt hæc omnia sint perpendenda ut pro peccato specifico, pro peccato determinato indicetur remedium specificum determinatum, quodlibet tamen semper præseruatorium. Ad quæ fundamenta respiciens Galenus in arte Medicinali cap. nonagesimonono dicit, humores neque lentos esse debere, neque aquosos, neque plurimos, neque vehementer calidos aut frigidos, neque mordaces, neque putredini obnoxios, quare multo minus putridos, neque uenenosos; quibus sane uerbis Galenus nihil aliud insinuat quàm multiplex peccatum mineræ, materiæ morbificæ, ut est mixtum præter naturam. Declaro, insinuat quidem Galenus peccatum secundum formam, dum proponit humores putridos, proponit peccatum secundum quantitatem, dum in medium affert humores plurimos, significat peccatum in qualitate alteratiua. Et præterea dum proponit humores calidos, humores frigidos, & in summo proponit mordaces, in-

Arte med. 99.

ſinuat peccatum ſecundum qualitatē. Secun dùm dum proponit humores lentus, & ſupponit peccatum in motu, de quo ſuo loco, unde idem Gal. à ſemetipſo nequaquam recedēs 14.M.17.dicit, propriam vlceris curationem deſumi ex humorum ſpecie & quantitate, per ſpeciem intelligens formam & quæ formā conſequuntur, hoc eſt, qualitates primas & ſecūdas, & alteratiuas, & motiuas, dicit ēt eodem in loco ad curationē opus eſſe, pernoſcere humorum copiam, craſſitiē, tenuitatem, potentiam: vnde per copiam intelligit peccatum in quantitate, per craſſitiem & tenuitatem peccatum in ſecunda qualitate, per potētiam intelligit peccatum ſecundum formam, & quæ formam conſequuntur, ut mirandum non ſit, ſi 2.M.cap.13.proponens uitia humorum, dicit referenda eſſe ad prædicamentum quantitatis, & qualitatis, qua ueritate ita cōſtituta, ut ordinate procedamus, primò diſcurremus circa peccatum ſecūdum formam, ſecundò circa quantitatem, tertiò circa qualitatem, quartò circa motū & quietem, & dicam quod ſentio, fateor tamen hoc negocium eſſe ad ſummum difficile.

14.Method. 17.

2.M.13

I.

DE PECCATO IN FORMA.

QVo ad peccatū in forma nihil aliud eſt quàm minera, quę peccat à toto genere pręter naturā, hoc eſt, peccatū in

forma,

forma, quando materia, id est minera peccat à toto genere prȩter naturam. Materia autem quæ à toto genere est præter naturam, dupliciter intelligitur uel per se uel ex accidenti, per se, ut calculus, lumbricus, membrana, in suffusione, pila plumbea per bombardam transmissa in corpus. Per accidens autem potest esse duplex, nam & sine his distinctionibus est impossibile intelligere Gale. in Meth. medendi. Materia igitur à toto genere præter naturam per accidens duplex esse potest, est etenim uel contẽtum ut humor putridus, vnde humor non per se, non propria ratione est à toto genere præter naturam sed ex accidenti. Cõtinens autem est ueluti caro in corpore humano, nam caro propria ratione non est à toto genere præter naturam, sed ex accidenti quando corrumpitur, quando putrefit. Caro igitur corrupta est minera à toto genere præter naturam. Vtcunque capiatur materia à toto genere præter naturã, in hoc communi, in hoc generali debet indicare remedium quoddam genericum, quod tamẽ subalternum est & cum Gal. ut à Gal. nunquam recedatis, cum Gal. 14. Meth. 17. indicat remedium secũdum totum auferens, quia peccat à toto genere præter naturã, quod remedium secundum totum auferens potest indi-
10. M. 8 cans nũcupari, & ideo 10. Meth. 8. causa materiæ putridȩ, & proinde à toto genere prȩter

naturam,

naturam, proponit eradicans similiter, & 14. Meth. 13. & pariter in arte Medicinali cap. 94. vbi sermo habetur de calculo, qui ut scitis peccat à toto genere præter naturã. Sed animaduertite ibi addere Galenum, si materia, si calculus eradicari extrahi non potest, opus esse transponere, addebat etiam Galenus 14. Meth. 13. quorum affectuum locus affectus una naturalium partium est, prima indicatio est, vt affectus sanetur, secunda indicatio, si insanabilis sit affectus, ut vnà cum uitio, unà cum affectu pars amputetur, ueluti in cancro, è contrario addebat loco citato Galen. in suffusionibus cum non licet extrahere in prima Indicatione, transferre oportet suffusionem ad locum minoris momẽti, quæ uerba, ut opinor, intellectu difficilia sunt, si uelimus secũdum artem, & ex rei natura assequi mentem Galeni. Galenus in his uerbis proponit quid agendum in duplici materia à toto genere præter naturam, id est, in cancro, & in suffusione. Vnde per affectus non intelligit morbum sed materiam, id est, cancrum, id est, materiam cancri, materiam suffusionis, quæ vtraque materia, ut dixi, & patet, est à toto genere præter naturã, unde quo ad cancrum, in hoc duo sunt à toto genere pręter naturã, hoc est, & materia quę cancrum efficit, id est, melancholia usta, & pars etiam affecta est reddita à toto genere præter naturam, quare

14. Meth. 13.

Arte Medic. 94.

14. Meth. 13.

vtrun-

vtrunque indicat amputationem, extractionem. At in ſuffuſione, quod eſt à toto genere præter naturam eſt tantum materia, pars affecta, non eſt à toto genere præter naturā, & ideo virtus partis, uirtus oculi prohibet extractionē, & permittit tantum tranſpoſitionē.

OBIECTIO.

VNde admoneantur iuniores, unde unſi aſſequantur, quod pauci fuere aſſecuti, & ego ignoro à quo hęc veritas fuerit percepta. Galen. proponit à toto genere præter naturam, & uoluit hanc indicare extractionem, & ſi non licet extrahere, noluit indicare trāſpoſitionem, ego libenter intelligerē cum hæc ſunt duo indicata, quomodo indicantur à duobus indicantibus. Et do exemplū, exempli gratia, ſit calculus in ueſica. Calculus in veſica quandoq; extrahitur unde indicatur extrahens, quandoq; tranſponitur, ut ſi ſupprimatur lotium à calculo occludente meatum ceruicis, hic calculus eſt tranſponendus, & idem calculus eſt à toto genere præter naturam, duo ſunt tamen indicata, remedium extrahens, & remedium tranſponens, neque eſt ut aliquis fugiat, ut cum uidelicet in ſuffuſione uirtus prohibebat extractionē, opus eſſe tranſponere, ut uirtus ſit illa quę indicat. Virtus non poteſt indicare tranſponens, ſed tantum ſui conſeruationem, & ideo utrunq; videtur indicari ab uno tantum indicante.

SOLV-

SOLVTIO.

DIcerem ego, calculum in hoc generali, in hac eſsẽtia generica, ſubalterna tamẽ, vt eſt mixtum à toto genere præter naturam, indicare remedium ſecundum totum remouens, hoc eſt, cõmune, hoc autem remedium ſecundum totum remouens duplex eſſe poteſt, uel extrahens uel traſponens. Differentia eſt inter hęc duo remedia indicata, ut alterũ eſt uehementius reliquo, oportet autem vt hæc uehementia hac ratione perpẽdatur, ut id quod uehementius eſt magis poſſit ad indicandum remedium eradicans, ſecũdum totum remouens, quàm virtus ad prohibendum, & hoc eſt uehemens Indicãs, quod magis poteſt quàm uirtus, indicat extrahens, unde in calculo ueſicæ, quia uirtus quandoque permittit inciſionem, extractionem, ob id ad extractionem cõfugimus. Ecce igitur quemadmodũ materia à toto genere pręter naturã, ſecundum ſuam eſſentiam, quæ eſt vehemẽtior eſſentia uirtutis, indicat extrahens. Si autẽ cõtingat ut materia à toto genere pręter naturam ſit minus vehemẽs, quàm uehemẽtia uirtutis, minus poſſit quam virtus, hęc eſſentia minus uehemens indicat tranſponens, vt in ſuffuſione non licet extrahere membranulam, non licet extrahere materiam ſuffuſionis, propterea quod uirtus oculi prohibet, ad differentiam uirtutis quandoque in veſi-

ca.

ca. Hactenus igitur habetis quemadmodum peccatum in forma indicat remouens, indicat transponens, eradicans. Notate solutionem dubij.

LECTIO XXIII.
II.
De Peccato In Qvantitate.

Dictũ fuit de materia morbifica ut peccat secundnm formam. Modo dicemus de materia morbifica ut peccat secundũ quantitatem. Hæc igitur duplex est, uel enim habet rationem continentis, uel rationé contenti, per contentum propter iuniores intelligo humorem qui in corpore continetur, per continens autem intelligo partem solidam, viuentem, sine qua distinctione impossibile est recte intelligere Galen. Quantum igitur attinet ad cõtentum, per contentum, per humorem peccantem in quanto intelligimus, dum exuberat, quia dum est deffectus, hoc pertinet ut suo loco intelligetis, potius ad uirtutem, dum igitur materia humor abundat, cum Galeno in arte medicinali 94. & 95. indicat abuacuationem, ita loquitur Galen. per abuacuationem intelligere oportet euacuationem, & hoc est Indicatũ satis genericum, quod desumitur à peccato in quanto generico, unde Indicatum specificum debet indicari ab Indicãte specifico. Indicans specificum, & nunc cognoscitis hanc doctrinam esse veram,

Ars Medicin. 94. & 95.

ram,

ram, hoc inquam indicās ſpecificum eſt ſanguis, non ſimpliciter ut peccat in quanto, ſed ut peccat in quanto, determinato, ſanguis peccans ad quantitatem unius libræ, & ideò hoc indicatum ſpecificum indicat, quid agendum ſpecificum, id eſt, imminuens, euacuans ad libram, vnde poteſtis facile colligere, quantum à rei natura recedant, qui neſciunt diſtinguere quid agendum ſpecificum, à quanto agendum, hæc autem ueritas patet, hoc Indicatum locum habet ſiue remedium ſit minuens per ſe, ſiue per accidens, quomodocunque, & hoc probo cum Galeno, à quo nunquam in hac Method. recedendum Quo ad materiam euacuantem per ſe non ex accidenti Gal. decimoquarto, Meth. 17. dicit in curatione ulceris communem curationẽ eſſe, ut inhibeatur prohibeatur humorum confluxus, propriam autem curationem inueniri ex humorum ſpecie & quantitate. Ecce proponit quantitatẽ in humore, peccatum in quanto à quo ſumitur Indicatio, Vnde magis deſcendens ad Indicationem ſpecificam dicit 2. Meth. 14. oportet tantum ſanguinis detrahere, quantum ſupra naturalem ſtatum eſt auctus. Ecce capit Indicationem à determinato peccato, à determinata quantitate, & Galen. non admodum curans de uocib. apponit modum euacuationis, per modum euacuationis non intelligatis

14. Meth. 17.

2. M. 14

quo-

quomodo agendum, intelligatis quantũ san-
guinis, quid agendum specificum, unde quid
agendum specificum appellat modum eua-
13.M.2 cuationis, præterea dicit Galen. 13. Meth. 2.
vacuationem non modo inueniri ex redun-
dantia materiæ, sed præterea ex ætate, natu-
ra, aëre, consuetudine, & ante hæc ex uirtute.
Ecce loquitur hic de remedio uacuante mi-
nuente, quod à sola redundantia indicatur
peccato in quanto, quia unũ non nisi ab un
indicatur. Vnde Galenus licet hoc loco plu
ra proponat, non propterea imaginari opor
tet, hæc omnia esse Indicãtia, quia fuisset d
ceptus Galen. sibimet contradiceret, qua
per Indicans accipit redundãtiam, peccatu
in quanto, per permittens, quod unicum e
proponit uirtutẽ, & ob id utitur illis uerbi
& ante hæc uirtus, ut uirtus sit præferen
omnib. Indicatis. Per reliqua, id est, ætate
consuetudinem, temperaturam & aërem, h
accipit ut signa, ut signa utriusq; h. e. & sa
guinis redundantis, h. e. indicantis, & uirtu
robustæ permittentis, ut uerbi gratia, si fu
tempus ueris, & signum copiosi sanguinis
ob id indicantis, est signum uirtutis robu
& ideò permittentis, quare nunquam ult
tria sunt somnianda uel indicantia uel p
hibentia, uel permittentia. Quo uerò ad-
10.M.1 medium cuius materia per accidens euac-
tur, hanc propofuit Galen. 10. 1. vbi habe-
dist

diſtis eos qui uel ex abūdātia uel ex phlegmone laborāt ſub lōga inedia detinuiſſe, ut ante ſeptimum non cibauerint, virib. valētib. Hæc ſunt Gal. verba quib. facile ſignificat abūdantiā, peccatum in quāto indicare minuēs, Virtutē autē robuſtā eſſe permittentē. Dicit etiā idem Gal. 13.M.6. plethorē plenitudinem curari quādoque inedia, ecce quemadmodum inedia quemadmodū uictus minuens nequaquam indicatur à virtute ſed ſolum à materia peccante in quantum, vt virtus concurrat non ut indicans, ſed ſi robuſta eſt ut permittens, ſi debilis ut prohibens, & propter iuniores licet apponere Gal. autoritatē 2.M.5. vbi dicit, ſed & nutrimēti modus hinc tibi eſt deſumēdus. expedit ut iunior duo intelligat, alterū quid velit Galen. per nutrimēti modum, reliquum quid velit per illa verba, hinc tibi eſt deſumēdus, indicandus, vt hinc appareat quid ſit Indicans, quid ſit permittens; & quid prohibēs, Gal. igitur per nutrimenti modum, intelligit victum minuētē, vnde proponit victū tenuiſſimum & ob id maximè minuetur, quare proponit materiam remedij minuentis, quæ materia per accidens euacuat nō per ſe. Quo vero ad ſecundū explicandū indicatur à materia morbifica, permittitur & prohibetur à virtute, hæc veritas Gal. dictis comprobatur, nā ait quippe cū vires robuſtas habēt, & morbi ſummus vigor eſt breui futurus, uictu te-

13.M.6

2.M.5.

nuiſſimo vtendum ecce utimur uictu tenuiſſimo quia futurus eſt breui ſtatus, quod ſane nobis ſignificat materiæ peccatum,& uehemens etiam peccatum ut non ſimpliciter vti licet uictu minuente, ſed maxime minuente, hoc eſt tenuiſſimo, ut Indicatio non deſumatur à ſtatu febris, à tempore morbi, ſed hoc ſit ſignum peccati materię Indicantis virtus autem cum Gal. proponitur robuſta, valẽs, quia debilis prohibet. Hactenus igitur comprobatum ſit peccatum in quanto indicare abuacuans, minuens, ſi ſermo fiat de minera de materia, de materia peccante in quanto ut habet rationem contenti.

De Continenti.

LOquamur igitur de continenti, quia continens nihil aliud eſt quam pars uiuens, & recte quęſo intelligatis, quia neſcio an antea hanc ueritatem intellexiſtis, licet nõ rarò ſit propoſita à Gal. intelligo igitur per materiam continentem peccatum in quanto, intelligo materiam uiuentem, quæ dupliciter accipi poteſt, alio modo ut continet materiam quieſcẽtem, veluti cutis, ueluti caro, quę ſunt partes viuentes, alio modo intelligitur pars continens, ut continent materiam, ut continet contentum, quod non quieſcit, ſed potius fluit, quia trãſmittitur, quia attrahitur, cuiuſmodi ſunt venæ ac reliqui ductus ſeu canales per quos fluit contentum.

Continens quod est pars viuens corporis vt continet materiam quiescentem.

QVantum ſpectat ad materiam continentem, primo modo acceptam, poteſt eſſe cutis, poteſt eſſe caro, & per cutem & carnem intelligo has partes non morboſas ſed ſanas, quæ tamen partes euadunt etiam ſanæ cauſæ morbificæ, quia non hic loquimur de Indicante præſeruatorio. Indicans præſeruatorium nihil aliud eſt, quàm cauſa morbifica, quare neceſſarium eſt, ut cutis, ut caro euadant cauſæ morbificæ.

Cauſa morbifica poteſt eſſe principalis, poteſt eſſe ſine qua non, hæ partes uiuentes ſunt cauſæ morbificæ ſine quibus. Do exemplum, dum uerbi gratia, uel à cuti uel à carne detinetur plus uel alia materia morbifica, cutis eſt ſana, quia ſuppono, has partes non eſſe intemperatas, ſed temperatas, hoc habent vt detineant materiam morbificam, ut ſint cauſa ſine qua nõ, ut materia morbifica nõ egrediatur. Materia morbifica detenta nocet, & ideo cutis ut detinet materiam morbificam nocet, quare habet rationem cauſæ morbificæ ſine qua non, & ob id habet rationem indicantis, ſed præſeruatorij. Hanc ueritatem tetigit Galen. & 3. M. vlt. & 13. Meth. cap. 5. quod ſit uerũ, 3. Meth. ult. inquit, ſi vlcus habet cauitatem altius reconditam ſub cuti, cutim inquit Gal. ſcindere oportet, volo ut ocu-

Nota.

3. M. vl.
13. M. 5

Iis hanc veritatem inſpiciatis, in hoc caſu chirurgus ductus Galeni autoritatibus, & autoritate quæ pendet à rei materia, accipit ferrũ & cutim ſecabit, ferrũ eſt aliquid, & qui negat poteſt experiri, eſt materia remedij ſcindentis cutem, remedium ſcindens cutim eſt indicatum, neceſſarium eſt ut ab aliquo indicetur. Audiuiſtis in primis lectionibus, vbi tradita ſunt fundamẽta huius artis, Indicatũ dirigi ad indicãs, verbi gratia, ſi ventriculus afficitur caliditate & indicat frigidũ, quia frigidum dirigitur ad calidũ, indicatũ ſemper dirigitur ad indicãs, hoc remediũ ſcindẽs reſpicit cutim, nos diuidimus, ſcindimus cutim vt per cutim diſciſsã egrediatur materia, quare nolimus uelimus, fateri cogimur hoc remediũ indicari à cuti, ſed à cuti ut habet ra-
13.M.5 tionẽ cauſę morbificę. Pręterea 13.M.5.dicit Gal. aliquando propter multitudinẽ puris, saniei, & corruptarum materierũ exſcindimus cutim, quia cutis ſana, ex accidenti autẽ ut ſit cauſa morbifica, ſine qua habet rationẽ indicantis pręſeruatorij, propterea quod impedit materię exitum, ſed iunior diligẽs quęret per quã eſſentiã cutis cõcurrit ad indicãdũ, nunc verſamur circa quid agẽdũ, quod à ſola eſsẽtia indicatur nõ ab alio, quę eſt eſsẽtia in cute, quę eſt eſſentia in carne, quę ſcinditur, quę aperitur, hoc uitiũ, hoc peccatũ, hæc eſſentia pertinet ad quantum, quia nunc loquimur de

peccato in quanto, quod peccatum in quanto nihil aliud est quàm continuitas uel cutis uel carnis, cuius contrariũ, quia Indicans pręseruatorium oppositũ indicat, cuius inquam contrariũ est diuisio, quare cutis, quia ut cõtinua detinet materiam morbificam, indicat diuidẽs remedium, cuius materia est ferrum, quemadmodum etiam fit in venæ sectione.

Cõtinens, vt contineat materiã non quiescentem.

SEd si cõsidereris materiam continentem, materiam morbificem, ut non quiescit, sed est in fluxu, sed est in transitu, hęc materia est uena, ductus, canalis, qui sane canales, ductus possunt bifariam peccare, & proinde habere rationem causę morbificæ, altero modo per amplitudinem, reliquo per continuitatem: Declaro: vena, & quod dico de vena, de reliquis ductibus intelligendũ, per amplitudinem venę & omnium ductuum intelligo quãdo materia morbifica fluit, cum alioquin fluere non deberet. Vt uerbi gratia, dum contingit in immodicis euacuationibus, ut licet amplitudo sit secundum naturam, reddatur tamen morbifica ex accidenti, hoc est ratione materiæ fluentis, & hæc amplitudo indicat contrarium, indicat remedium angustans, cuius materia uerbi gratia est ligatura, uerbi gratia defensiuum uocatum, quod paratur ex astringentibus ex angustantibus, ut beneficio huius angustationis, beneficio hu-

ius imminutionis, amplitudinis, prohibeatur trāſitus materiæ. Præterea in ductu, in canale, nos perpendimus cōtinuitatem, prout uena per ſui continuitatem impedit quo minus ſanguis, uel alia materia exeat.

Vnde ut ſæpius diximus per hanc quantitatem, per hanc cōtinuitatem, & per hoc peccatum, per hanc eſſentiā indicatur diuidens, quemadmodum ſuperius diximus, & quemadmodum obſeruatur in uenę ſectione ut extrahatur ſanguis. Hęc de peccato ſecundum quantitatem, in ſequenti de peccato ſecundum qualitatem: Deinde ſecundum motum & quietem.

Cur ſcindamus cutim in venæ ſectione.

LECTIO XXIV.

QVid indicet materia peccans in quanto intellexiſtis.

III.

De Peccato Secvndvm Qualitatem.

SI autem materia peccet in quali, peccare poteſt qualitas prima, & qualitas ſecūda. Quo ad primam qualitatem materia calida indicat frigidum, & ſic de reliquis. Quo ad ſecundam qualitatem, materia exempli gratia viſcida, lenta, indicat remedium deterſorium, craſſā attenuans, & ſic de reliquis, unde Galen. 2. M. 5. dicit, ſi obſtructio fuerit indicatur uictus attenuans, nō credatis uictum attenuantē indicari ab abſtructione, quem-

2. M. 5.

admodum uidetur prima facie asserere Gal. Sed per obstructionem asserere oportet id Indicans quod est ex usu, est autem materia crassa, hæc est quæ indicat victum attenuantem. Vnde etiam Galen. 14. Meth. 5. asserebat duram materiam esse molliendam. Constat igitur quẽadmodum materia morbifica peccans in quali, siue sit qualitas prima, siue secunda indicet suum cõtrarium, quod semper est præseruatorium. Hęc de peccato in quali. 14. M. 5

IIII.

De Peccato Secvndvm Motvm & Quietem.

QVantum spectat ad peccatum secundũ Motũ uel Quietem & in primis quo ad peccatum secundum Motum, Motus potest duobus modis accipi, id est, Motus uitia sũt uel ut deficit uel ut exuberat.

De motu imminuto.

SI ut deficit, indicat remedium adiuuans, remedium intendens illum Motum deficientem, quam ueritatem tetigit Gal. 9. Meth. cap. 5. quem locum si uidissent aliqui, quos honestatis gratia nominare nolo fortasse mulier infelix non obijsset: dicit igitur Galen. si tempore mittendi sanguinis menses fluant, si sanguinis quantum sat est effluat, si sanguinis motus sit sufficiens, naturę omnia sunt permittenda, nihil efficiemus ut sanguinis impetus, Motus secundum naturam, sangui- 9. M. 5

nis motus non uitiosns, nihil indicet. Si autē, dicit Galen. sanguis non effluat ea copia qua deberet. Motus fit diminutus, oportet tantum addere, ut ex coniunctis ambobus perficias quod postulat sanguis, ecce imminutus Motus indicat remedium adiuuans intendens Motum illum diminutum.

De Motu superfluo.

SI verò materia peccat secundum Motum, sed motus ille sit excedens non imminutus, sed potius exuberans in genere, materia morbifica secundum hāc essentiam, hoc est, secundum motum excedentem indicat remedium minuens, compescens illum Motum excedentem, & hoc est remedium satis genericum, quod indicatur à Motu excedenti superfluo. Remedium autem specificum, quod continetur sub hoc generico, est Intercipiens, Reuulsorium, Deriuatorium, quod duplex est, hoc est, simplex Deriuatorium, & Deriuatorium mixtum, atque Reprimens, Repercussorium. Hæc igitur sunt indicata specifica, quæ sub illo generico continentur, & quia hoc negocium est maximi momenti, & satis difficile, ideo hæc Indicata specifica à nobis summa cum diligentia explicanda sunt, ut appareat à qua essentia specifica indicentur. Ratio igitur horum Indicantium & Indicatorum hæc est: Cum sermo in præsentia fiat de materia morbifica ut

peccat

peccat secundum Motum excedētem, superfluū, nos apud Philosophos cognouistis materiam hanc, quæ ita præter naturam mouetur, id est, materia quæ est mota, motu excedenti, uitioso, requirit spacium, per quod hæc materia moueatur à motore extrinseco ut motus incipiat à termino à quo, & desinat in terminum ad quem.

De Compescente Remedio & Intercipiente.

Quare & in primis ratione spacij, hoc est, ratione Motus ut respicit spacium, indicatur remediū compescens hūc Motum, quod sit specificum, quod sit intercipiens: Ecce remedium illud genericum, hoc est, compescens motum illum superfluum exuberantem, contrahitur, euadit specificum euadit Intercipiens, vt respicit spacium per quod mouet materiam: causa autem extrinseci Motoris qui mouet à termino à quo ad terminum ad quem, indicabit remedium uehemens, uiolentiam extrinseci Motoris uiolenti, ut materia moueatur potius in aliam partem. Motor autem extrinsecus cum possit esse duplex. Hęc suppono, quia didicistis à Philosophis.

Motor uiolentus extrinsecus duplex.

Motor igitur uiolentus extrinsecus duplex esse potest, uel attrahēs uel impellens, ut propterea indicet remedium contra-

nium, attrahens indicat impellens, impellens indicat attrahens: sed quia vtrunque est genericum, ideo ut euadat specificum oportet indicans magis contrahere, id autem notissimum est, ut attrahens genericum, quod indicat contrarium, indicet contrariũ efficacius, verbi gratia si pars attrahit per caliditatem vt duo, indicat calidum vt tria. Similiter est dicendum de impellente, vt uerbi gratia, si manus calida vt duo attrahat à partibus infernis, oportet partes infernas calefacere, ut tria, ut magis possit illud quod contrario modo attrahit. Hactenus igitur constitutum sit indicari attrahens, indicari impellens.

Attrahens specificum triplex.

QVantum attinet ad attrahẽs vt cognouistis quomodo euadat magis adhuc specificum, hoc triplex esse potest, prout nos in Motu materię in Motu excedenti materiæ respicimus Motorem, & ratione termini à quo, & ratione termini ad quem, & insimul ratione vtriusque termini.

I. De Reuulsorio.

DEclaro, si respicimus ad materię peccatum, ut respicit terminum à quo, indicatur remediũ attrahens ad longinqua, quod Medici vocãt Reuulsorium seu Diuersorium.

II. Deriuatorium.

SI verò respiciamus ad terminũ ad quem, indicatur attrahens ad vicina, ad latera,

& vo-

& vocatur Deriuatorium ſimplex, propterea quod indicatur à ſolo Motu, à ſolo fluxu ratione termini ad quem.

III. Deriuatorium vel Reuulſorium mixtum.

SI autem accipiamus Motum vitioſum excedentem ratione Motoris externi in relatione inſimul à termino à quo ad terminũ ad quem, hoc vocatur Attrahens, quod vocatur Deriuatorium, ad differentiam Reuulſorij, & Mixtum deriuatorium, ad differentiam deriuatorij Simplicis.

DE REPRIMENTE.

QVo vero attinet ad Impellens, hoc indicatur tantum à Motu materiæ ratione termini ad quem, & Medici vocãt Reprimens, Repulſorium, quare materia vt præter naturam mouet, indicat Intercipiens, Reuulſorium, Deriuatorium ſimplex, Deriuatorium mixtum & Repellens, & quia maxime deſidero, ut hanc ueritatem intelligatis, & deſidero etiam veritatis gratia, ab alijs redargui, uolo breuiter quidem ſed diligenter circa hæc indicata digredi.

Exemplum de Intercipiente.

PRimum igitur quoad intercipiens dicant alij quicquid velint, hoc eſt remedium, cuius materia nõ inuenitur: oculatiſſimi Medici fortaſſe inueniẽt. Declaro materiam non inueniri, nam verbi gratia, nos intercipimus materiam deſcendentem in catharro à capi-

te ad

te ad pulmones,& exẽpli gratia,utimur Diacodione,utimur saccharo,rosaceo antiquo cũ bolo armena. Dubitandum non est beneficio horum medicamentorum materiam non intercipi,quia intercipitur materia fluẽs,sed intercipitur,quia refrangitur illius motus, quia incrassamus, crassefacimus materiã tenuẽ, q̃ tenuitatẽ mouet,quare materia tenuis indicat crassefaciẽs cuius materia medicinalis est Diacodion, Propterea nos intercipimus materiã fluentẽ,quia uerbi gratia, ligamus,adstringimus partes, unde materia remedij est ligatura, materia remedij est Defensiuũ vocatũ, ꝙ cognoscunt ẽt Barbitonsores,hæ materię sunt materię alicuius remedij,sed non materię Intercipiẽtis, sed remedij angustãtis, astringẽtis indicati, ut heri intellexistis, indicati inquã à uasis, à ductibus, à canalib. amplis,quare impossibile est, ut reprimatur materia remedij intercipientis,ut non sint reprehendendi medici,licet in fluxione materię mẽtionem non faciant de remedio Intercipiente.

Exemplum de Reuulsorio.

4.M.5.6. REuulsoriũ autẽ proponitur à Gal.4.M.5.6.ubi hẽt,mentionẽ faciẽs & de Reuulsorio & Deriuatorio, Reuulsionẽ faciẽdã esse ad cõtrariũ, Deriuationẽ ad latera,ad uicina.

DVBITATIO.

ET ibi subdit Galenus,si fluxi irruat,oportet reuellere, ecce Reuulsio capitur à

Motu,

Motu, à fluxione. Præterea dicit Galen. 13. Method. secundo, in his quæ circa caput accidunt purgare per contrarium oportet, & 14. Methodus cap. 8. dicit, in Priapismo opus esse vomitorijs, contra in uitio linguæ esse purgandum, & hoc ex partium situ indicatur. Quibus uerbis Galenus non intelligit situm partis habere rationem Indicantis, quia esset postponendus puero, & ratio, quia hoc est indicatum specificum, quod supponit genericum, supponit auferens immodicum Motum materiæ. Ego nescio quomodo situs partium indicet auferens, situs partis est quid secundum naturam, non potest esse Indicans præseruatorium.

13. M. 2

14. M. 8

SOLVTIO.

QVare ita intelligatis Galen. vt his verbis proponat quid agendum, quod est Reuulsorium, quod indicatur à materia mota præter naturam, id est, Motu uitioso, cuius motus uitiosi, cuius indicantis, situs partis est signum, vt remedium Reuulsorium indicetur à Motu ratione termini à quo. Reuulsorium autem an debeat esse uel Reuulsorium sursum, hoc est, vomitorium, uel Reuulsorium deorsum, hoc est, deijciens per aluum, hoc indicatur à motu materiæ, ut sursum vel deorsum mouetur, quem motum significat nobis, ut signum, situs partis.

VBI.

QVæ autem pars uel inferna uel superna esse debeat, cui materia Reuellẽtis remedij sit applicanda, hoc nõn indicat motus materiæ, nequaquam, quia hoc per tinet non ad Quid agendum, sed ad Vbi, vt sciamus cuinam parti vel supernæ, vel infernæ, cuinam parti ex supernis, cuinam parti ex infernis sit applicãda materia medicinalis, sit applicanda materia remedij Reuellentis. Propterea Galen. 5. Metho. 3. dicit, Reuulsionem & Deriuationem esse communia remedia immodicæ euacuationis, ita tamen ut reuulsio fiat ad contraria, Deriuatio ad latera, ad vicina, ut dicit Gal. si materia fluit per sedem, sursum sit reuellenda, Deriuatio autem fiat per uterum. Quibus uerbis Galen. dubio procul proponit Quid agendũ, hoc est remedium Reuellens & Deriuans: & cum dixerit esse communia remedia immoderatæ Euacuationis, nemo debet esse ita fatuus, ut asserat hæc remedia indicari ab immõderata Euacuatione. Immoderata Euacuatio indicat Repletionem, tamen Gal. euidenter asserit, Reuulsionem, Deriuationem esse remedia immoderatę euacuationis, Reuellens & Deriuãs indicantur à Motu, ut scitis, sed immoderata euacuatio habet rationẽ signi, non indicantis, nam immoderata Euacuatio est signum Motus præter naturam,

exem-

exempli gratia, sanguis uerbi gratia si aliquis obseruet immoderatum fluxum sanguinis, nonne cognoscet immoderatum esse impetum: motum in sanguine, & ob id Indicatio sumitur à motu, Motus autem tanquam à signo potest significari ab immodica Euacuatione: & hęc de remedio Reuellente, & de remedio deriuante simplici.

Mixtum ut procedit ex simplici breuiter absoluitur. Mixtū deriuatur indicatur à Motu, ut simul respicit terminū à quo, ad quem. Ad quem, in pleuritide venæ sectio ab eodem latere, est materia remedij Reuellentis, ratione materiæ fluentis, est etiam materia remedij deriuantis ratione materiæ fluxę, cuius signum quia fit euacuatio ad mutationem sanguinis, quæ mutatio significat euacuari materiam fluxam, vnde hoc remedium vocatur Deriuatorium mixtum seu Reuulsoriū, deriuans, seu Deriuans reuulsorium, prout magis uel reuellit uel deriuat. *Nota de sectione venæ in pleurit.*

DVBITATIO.

SEd iuniores admoneantur dixisse Galen. 4. Meth. 6. si iam fluxio cessauerit atq; in membro inhæserit, deriuare oportet.

Ex quibus uerbis quilibet facile colligere pōt, remediū deriuans indicari à materia quiescente, non fluente, non mouente: Vnde etiā Gal. 2. ad Glauc. 2. dicit deriuationem esse humoris qui iam membrum occupauerit.

So-

SOLVTIO.

1.M.3. DIcatis cum Galeno 1. M. 3.remediũ deriuans posse accipi causa immoderatæ vel uacuationis uel repletionis, si causa immoderatæ euacuationis veluti in fluxu immoderato mensium, remedium deriuans indicatur à materia vt mouetur quia fluit, & in hoc non est aliqua difficultas, si autem alia ex parte capiatur causa immoderatæ fluxionis, id est quando materia fluens est causa inflammationis, repletionis magis auctæ, tunc licet materia quæ indicat remedium deriuãs non fluat ab una parte ad aliam partem, tamẽ mouet à uasis illius partis ad spacia eiusdem partis, unde appellatur materia fluxa, quia iam fluxit de una parte ad aliá, est materia quæ mouetur, est mobilis ut mouetur à vasis, à ductibus, ad spacia eiusdem partis, secundum hanc rationem indicat deriuans. In sequenti uerò loquemur de reprimentibus.

Nota vi detur solutio nimis acuta.

LECTIO XXV.

De Reprimente.

LOcuti fuimus de remedio Reuulsorio, & simplici & mixto, quare dicendum de Reprimente: Hoc igitur indicatur à Motu materiæ, ut respicit terminum ad quem, ut sit hic Motus per impulsionem, unde dicit Gal. 2.M.5. dum ad affectum locum fit fluxio, Reprimere expedit: ecce Reprimens indicatur à fluxione, & à fluxione, ut dicit Galen. ad lo-

cum

cum affectum, hoc est, vt respicit terminũ ad quem. Præterea 13. Meth. 6. dicit ad incipientes inflammationes, dum quod affluit, dum quod fluit non est crassum, oportet reprimere; ecce proponit materiã fluentem, non quiescentem, & idcirco 13. M. 8. dicit reprimere oportet quod fluit. Constitutũ igitur sit, etiam Reprimens remediũ indicari non à materia quiescente, sed à materia ut peccat secundum Motum, ut respicit terminum ad quem, vt Impellit, quia oportet Repellere. 13. M. 6 13. M. 8

V.

De Peccato Secvndvm Quietem.

Qvo vero ad peccatum secundum quietem cũ Gal. 13. M. 9. materia hęc morbifica quiescẽs, indicat Cõmouens, indicat Vacuans per partẽ lęsam, ut si verbi gratia sit uapor, sed quiescẽs, indicat Vacuãs per partẽ lęsam, quod est digerens, quod euacuat per insensiles meatus: si autẽ sit minera vt quiescens, indicat euacuans per partem lęsam ut minera per sensiles meatus, unde dicit Gal. 12. M. 8. si dolor post Reuulsionẽ & Deriuationẽ perseueret, tunc materia est impacta, quare dicit Gal. digerẽda. Pręterea 13. M. 16. Diaphoreticum id est digerens indicari à materia in parte inflammata contenta, quare à peccato secundum quietem. Et si sermo fiat per euacuationem per sensiles meatus, 13. M. 9 12. M. 8

13.M.9 cum Gal. 13. Method. 9. Materia quiescens sensiliter est euacuanda, per partem affectam. Hæc dicta sint de peccato materię secundum motum, & secundum quietem. Sed propter iuniores, vt cognoscãt veritatem à nobis propositam, & à paucis intellectam, esse Gal. le-
8.M. 4. gant Galen. 8. Meth. 4. vbi dicit in Ephemera, quæ fit ex pusilla, ex parua obstructione, si producatur, si protrahatur declinatio dicit Galen. putredo necessario oborietur, nisi vitiosus succus transpiret. Sunt verba formalia Gal. quare dicit Galen. opus est maiori auxilio, quare si æger fuerit inter ætates medias, hoc est inter senilẽ & puerilem, vbi robur est virium, secanda uena dicit Gal. etiãsi plenitudinis signa non adsint: Quare est secãda vena ubi non sint signa plenitudinis? dicit Gal. vt vitiosi succi maiori parte euacuata ad detergentia, ad de obstruentia accedamus.

De sectione venæ licet plenitudinis signa nõ adsint.

DVBITATIO.

QVare ex his Gale. dictis boni uiri possent colligere venæ sectionem non indicari à plenitudine, sed à succo vitioso, à cacochimia, quod sane qui colligunt expresse testantur, se neque in superficie Galenum assequi.

SOLVTIO.

NOs igitur dicimus Gal. loco citato proponere remedium uehemens, non debile, & vacuans, sanguinem non Cacochi-

miam:

miam: Vtrumque facile comprobo: Primum quidem quia dicit Gale. dum protrahitur febris ephemerę declinatio, cum immineat putredo, putrida febris, opus eſſe maiori auxilio, ecce proponit magnum, vehemens auxilium. Secundum etiam patet, hoc eſt, proponi auxilium vacuans ſangninem, quia loco citato dicit Gale. ſi puer vel ſenex ſit, ſanguinem non detrahes. Ecce loquitur de vacuatione ſanguinis, vt ſit detrahendus in medijs ętatibus, nō in extremis. Patet igitur quemadmodum Galen. proponit Quid agendum quod eſt auxilium vehemens, ſanguinem vacuans, à quo igitur indicatur hoc auxilium, neceſſarium eſt vt indicetur à ſanguine peccante.

SANGVINIS PECCATVM TRIPLEX.

SAnguinis peccatum poteſt eſſe triplex: I. Secundum Motum, quod peccatum, quod vitium in præſentia locum non habet, quia non fit ſermo de vitio inflammatorio: II. Ex fluxione, neq; hoc loco proponitur peccatum ſecundum quantitatem, quia inquit Gal. etiam ſi non ſint ſigna plenitudinis, hoc eſt licet non ſit peccatū in quanto: III. Relinquitur ergo ut peccatū indicans ſit peccatum ſecundum formam, unde reſpiciens Gale. hoc peccatū, vocat ſuccum vitioſum, ut peccatum in forma ſanguinis, quādo ſcilicet eſt ineptus ad nutritionem, quādo imminet putredo, habet rationem indicātis, quemadmodum ęta-

tes medię sunt signa uirtutis permittẽtis, nam vt suo loco dicemus in sermone de virtute, vnica virtus est quę permittit vnica, quę prohibet, vnde ętas & reliqua sũt signa. Ptęterea vt maxime iuniores cõfirmẽtur, summa cum
9.M.2 diligẽtia legãt Gal. 9. M. 2. Nam in hoc capite proponit euidẽter triplex sanguinis peccatũ, hoc est secũdũ formã, quantitatem & motum, quod sit verũ, insinuat peccatũ sanguinis secundũ Formã, dum proponit sanguinem qui propriã qualitatem non seruat ut in alimentum verti non possit, vnde non proponit hic peccatum secundũ qualitatẽ, quia dum qualitas peccat qualitas indicat, & si est caliditas indicat frigidum, & ècõtra, quare hic dũ proponit qualitatem proponit qualitatẽ tãquam signum peccati secundum formã, vt rationaliter non alterare sed euacuare sit opus, proponit igitur peccatum secundũ formam, proponit autem loco citato peccatum secundum quantitatem dum proponit sanguinem inũtilem quãdo multitudine creuit vt inquit Gal. aut vires premat, opprimat, aut vasa distendat, quibus uerbis Diuinus Galen. significat peccatum in quanto, siue sit plenitudo quoad vires, siue sit plenitudo quoad vasa, & aurea est ista autoritas, propterea insinuat peccatũ secundum motũ, vbi proponit sanguinis impetũ. Constat igitur quid indicat causa morbifica ut mixtum atque ut præter naturam.

Materia lędit vel valenter, vel debiliter.

TAndem opus erat perpĕdere materiam morbificam vt lædit hominem ægrotãtem, vnde hoc loco duo sunt indicãda, primũ quid indicet, vt materia lædit indicanter, secundũ quid indicet, vt lędit magis secundum hanc quàm secundum illam partem.

Quo ad primũ, vt nimirũ materia corpus indicãter lędit, lędit vel vehemẽter, vel citra vehemẽtiã, secundũ quã essentiã materia indicat remediũ vel vehemẽs vel debile, quemadmodũ dictũ est de morbo. Differentia autẽ est, quia remediũ, exempli gratia, vehemens indicatũ à morbo vehementi est curatorium, à materia autem est pręseruatorium, vt verbi gratia, si sanguis vehementer lædat indicat remedium uehemens, cuius materia est venę sectio; si autem debiliter, indicat sanguis debile auxilium, cuius materia, verbi gratia, sunt cucurbitulæ, ad hanc veritatem respiciens Galen. 5. Method. capite primo, dicit in vlceribus nos cognoscere vlcera egere medicamentis magis siccantibus, quando sunt humidiora, quibus verbis Galenus significat, & proponit remedium vehemens, vehementer siccans, quod indicatur ab humiditate vehementi, cuius vehementiæ signum est copia, vnde quæso hoc loco animaduertant iuniores, vt intelligant hanc autoritatem, non indicari magis siccans à 5. M. 1

copia materiæ, sed à vehementia materiæ, quam vehementiam ut signum nobis significat copia, quantitas, quia in maiori quãto est maior uirtus, excrementum copiosius magis
13.M.6 lędit. Præterea fuit Gal. sententia 13. Meth.
4.M.6 6.& 4.Meth.6.plethorem, plenitudinem curari uel sanguinis missione uel balneo uel frictione, cachochimiam curari purgatione. Deinde subdit Galen. ęger si febricitet, opus est sanguinis missione, una cum inedia, uel opus est purgatione. Si uero homo non febricitet dicit Gal. alijs egemus, hoc est frictione, balneo, &c. id est leuioribus. Quibus verbis nihil aliud voluit Diuinus Galen. significare quam vehementiam & debilitatem materiæ, nihil aliud voluit significare quam uel vehementem uel debilem lęsionem, ut si vehemens est lęsio, oportet vehementibus remedijs vti ut est uel sectio venæ uel purgatio, uel etiã inedia, materiæ autem vehementiam significat nobis Gale. per febrem, unde febris non proponitur hoc loco ut Indicans, minime, quemadmodum febris nec missioné sanguinis, nec purgationem, nec inediam indicat, sed est signum vehementis læsionis materiæ, & iuniores hoc memoriæ mandent: Si quandoque Gal. quæ possunt esse uere indicantia, quandoque accipit ut signa, non esse præter rationem, ut quæ nequaquam possunt esse indicantia, accipiat in ratione signi. Præterea 14.

M eth.

Metho. 12. quod caput est à nobis intelligen- 14. Me-
dum cum à paucis intelligatur, & præsertim th. 12.
huius capitis intellectio pertineat ad Chirurgos, dicit igitur Galen. in curatione Meliceridis, Atheromatis, & Steatomatis, Indicationē communem esse, uel digestionem uel putrefactionem uel excisionem, Differentia autem est dicit Gal. ut Meliceris tria requirat, Atheroma duo, id est putrefactionem remedium putrefactionis, & remedium extinguens, amputans, incidens, Steotoma vero indicat solum excisionem: Deinde loco citato subdit Gal. in abscissibus autem profundis & potissimum in visceribus, dicit Galen. probant resoluentia & dirigentia, non putrefaciētia non abscindentia. Hęc verba sunt hunc in modum intelligenda, vt Galen. hoc loco proponat remedia vehementia, vt indicātur à vehementia materiæ, & quandoque prohibentur à virtute. Declaro, & quantum attinet ad indicās loquitur de abscissibus in quibus peccat materia à toto genere præter naturam, siue sit Meliceris, siue sit Atheroma, siue sit
Steatoma, ut cum eodem Gal. 14. M. 13. ma- 14. Me-
teria in quolibet abscissu ex propositis, cum tho. 13.
sit à toto genete præter naturam indicet eradicans, secundum totum euacuans, hoc autem ex toto euacuans, eradicans, minus vehemens est digerens, magis vehemens est putrefaciens, in summo uehemens est abscindēs,

quare necessarium est vt hæc ita à materia indicentur, vt à materia minus vehementi, indicetur minus vehemens, à materia magis vehementi magis vehemens, Gal. loco citato minorem vehementiã significat per substantiæ tenuitatem, vnde Galen. hoc loco non accipit tenuem substantiam, vt habet rationem Indicandi quia indicaret crassefaciens, qaare accipit in ratione signi, cum dicit in liceride triplicem curationem admitti, quoniam constat ex tenuiori materia quam constent reliqui abscissus, vt cum tenuitas sit signum virtutis remissioris, crassitudo sit signum uirtutis validioris, atque Gal. accipiat vehementiam penes resistentiam, in steatomate locum habet remedium vehementissimũ, quia peccat materia crassissima, vt nõ cedat digerenti, seu etiam putrefacienti, sed sit amputanda, in Atheromate autem cũ materia sit minus crassa, non cedit digerentibus, sed putrefacientibus: in Meliceride uerò cum sit tenuior potest etiam cedere digerentibus, ut admoneantur iuniores Gal. hoc in loco proponere hæc tria, ne redarguamur a Chirurgicis. Causa materię principalis contentæ in abscissu, quod dico ad differentiam folliculi, à quo hę materię continentur, quia certum est folliculum nequaquam cedere digerẽtibus, ad rem, respicit Gale. ad materię maiorem uel minorem vehementiã, respicit tandem ad id quod

prohibet,

prohibet, quando dicit postremo loco, si abscessus fuerit in visceribus, nequaquam confugiendum ad putrefacientia ad incidentia. In hac lectione sufficiat hoc statuisse remedium uel vehemens vel debile Indicari à vehementi à debili læsione, in sequenti lectione declarabimus quid indicet materia, ut lędit magis secundum unam quam aliam partem.

LECTIO XXVI.

De Materia vt lædit magis vnam partem, quam aliam.

DE Materia morbifica ut indifferenter lędit hominem ægrotantem locuti fuimus, sermo igitur fiat de materia ut lędit mamagis secundum unam partem, quàm secundum aliam. Materia ergo hunc in modũ accepta indicat remedium specificum, Exempli gratia cum Gal. 5. M. 2. dicit pectus & pulmonem expurgari per tussim, desumitur ex forma partis, & ibidem addit Gal. uentriculum uacuari sursum per uomitum, deorsum secundum naturam, atque tandem addit hoc Indicari à parte, ut pars est instrumẽtalis, quę uerba nõ ita sunt intelligẽda ut Indicatio sumatur à parte instrumentali, à forma, a cõformatione partis, ut uidetur prima facie insinuare suis uerbis Gal. non enim esset Gal. sententia, sed pueri: itaq; dicatis, Gal. his uerbis proponere quid agẽdum, quod indicatur à materia 5. M. 2 *Nota. quomodo pars indicet.*

morbi-

morbifica, vt lædit secundum hanc rationem formalem, secundum hanc essentiam, vt lędit determinatam partem, quod indicatum est specificum, verbi gratia, Vomitorium, Deiectorium, Diureticum, Tussiculare, id est, per tussim vacuans, signum autem huius essentię indicantis hoc est signum materiæ morbificæ lædentis partem determinatam, signum inquam huius Indicantis est conformatio partis conformatio partis est signum indicantis, nõ indicans est signum materiæ vt lædit partem determinatam. Hinc loco citato subdit Gal. ab vlcere sumitur Indicatio, vt in vlcere ventriculi vomitus sit periculosus, vt in vlcere pulmonum remedium vti dixi tussiculare sit periculosum, vt vomitorium remedium indicetur à pure, ut lędit ventriculum, prohibetur autem ab ulcere ventriculi, vomitorium vt indicat uniens ulcus, recte intelligatis, indicat remedium uniens, remedium uomitorium unitatem soluit, vlcus intenditur, augetur, quare quod indicatur à pure, id est, uomitorium prohibetur ab ulcere: In vlcère pulmonis ego breuis sum, quia scio hęc fuisse explicata à clarissimis huius partis professoribus. In ulcere pulmonis remedium vacuans per tussim indicatur à pure vt lædit pectus, vlcus intẽditur potius, quia quemadmodum uomitorium auget solutam unitatẽ, ita etiam tussiculare, tamen in praxi in ulcere uentri-

Nota.

culi non utimur uomitorijs, in ulcere pulmonum, pectoris, utimur tussicularibus, ratio est, quæ desumitur ex fundamentis Meth. quia in ulcere uentriculi magis potest ulcus ad prohibendum uomitorium, quam pus ad indicandum tussiculare, quam ulcus ad prohibēdum, cuius discriminis hæc est ratio, quia in ulcere uentriculi, licet non uacuetur materia purulenta per partes supernas, potest tamen euacuari deorsum, at in ulcere pulmonis nisi fiat euacuatio per tussim, per aliam uiam non potest fieri puris euacuatio, ut hæc non sit infima causa, propter quam pectoris & pulmonum ulcera uix possint remoueri. Preterea dicebat Gal. 2.M. 9. respiciens ad materiam ut lędit partes determinatas, dicit inquam in febribus continentibus, in quibus putredo in toto reperitur, expellere oportet per urinam, aluum, & sudorem: & addit Gal. si ad os uentriculi materia sponte impetum habet etiam per uomitum, non aliter: Ego libenter intelligerem quomodo alij explicarent hanc autoritatem, audietis meam expositionem, poteritis meliorem ab alijs inquirere, Gal. hoc loco proponit quid agendum, ut indicatur à materia putrida, & proponit quid agendum specificum, hoc est Diureticum, Deiectorium, Sudatorium & quandoq; etiam Vomitoriū, quę sane indicata specifica desumūtur à materia ut lędit hominem ęgrotantem, secūdum 2.M.9.

totum

totum corpus, non indifferenter, quia loquitur de febri putrida, continenti, in qua putredo est, in omnibus ferme uasis, ut cum materia putrida lædat totũ, indicat materia quodlibet uacuans, id est & diureticũ & sudatoriũ & deiectoriũ & uomitorium, & ob id Gal. loquitur coniunctim, non dicit uel uel, sed, &, ut in febri putrida continenti materia putrida euacuanda sit, & diuretico, quia læduntur partes ad renes spectãtes, indicatur sudatoriũ quia in febri materia lædit partes ad ambitum totius spectantes, indicatur deiectorium, quia in hac febri peccat materia quæ lædit has partes, ideo loquitur coniũctim, sed quo ad uomitorium indicatur, ut si materia ad os ventriculi sponte impetum habet etiam per uomitum non secus. Ideo in febri putrida continenti, ut licet ratione materiæ uti reliquis remedijs non ita indicatur uomitorium nisi sponte materia impetum habet in os uentriculi. Quid uoluit significare, nihil aliud nisi cum in pręsentia, quod ponat quod agendum ut indicatur à materia putrida, ut lædit hanc uel illam corporis partem. Contingere potest in febri putrida continente, ut à materia putrida quandoq; lędatur os uentriculi, quandoque non lędatur, si materia non lædit os uentriculi, non indicat uomitorium, & hoc significauit, quando dixit non aliter, Si uero hæc materia lædat os uentriculi, indicat uomitorium,

mitorium, & ideo vomitorium indicatur à materia, vt lædit os ventriculi, quam læsionem, quam essentiam indicantis nobis significat motus materię, vnde hoc loco non sumitur indicatio à motu, ab impetu, sed impetus est signum indicantis, hoc est materię lędētis os ventriculi. Hinc fit vt si in febri putrida continenti, si materia resideat in ventriculo, sed lædat partem infernam nō indicatur uomitorium sed deiectorium potius, siquidem materia putrida est potius per deorsum quá sursum euacuanda, vt prohibeat hāc vacuationem, hoc est per uomitum, os supernum ventriculi, & ideò nisi lædatur os ventriculi, quod cognoscimus ex impetu materiæ, ex motu hoc spontaneo ita vocato à Gal. nisi ita lędat non indicatur vomitorium. Constitutum sit deiectorium diureticum, sudatorium, vomitorium tussiculare, & alia id genus remedia indicari à materia morbifica vt lædit hominem ægrotantem, non indifferenter, sed secundum partes determinatas.

DE VSV MATERIAE MORBIFICAE.

QVo verò attinet ad Vsum breuissimi erimus, quia quod dictū est de Morbo esset repetendū de Causa. Vnde quātum agendum sumitur ab actione uerbi gratia, si bilis sit summa actio, indicatur summa dosis Rhabarbari, id est materię remedij, unde Gal. prima Aphor. 27. dicit in uehemētissi- *De quātitate.* *1. Aphoris. 27.*

mis

mis febribus in maximis inflammationibus, in summis doloribus esse euacuandum usque ad animi defectum, esse moliendam euacuationem unica uice. Propterea quod illorum malorum uehementia nobis significat summam actionem materiæ, à qua summa actione & non ab alio indicatur quãtum agẽdum.

DE MODO.

QVo ad modũ indicatur à passione materię causæ morbificę, si, uerbi gratia, bilis sit crassior, Rhabarbarum exhibendum in bolo quia efficaciter magis agit & debet etiam agere, quia bilis ob crassitiem
13.M.5 difficulter patitur, unde Gal. 13. Meth. 5. dicit si ratione puris oportet partem incidere, & in incisione lõgitudo latitudine debet esse maior, esto dicit Gal. ulcus in inguine, longitudo per transuersum fieri debet, non per rectum, & reddit rationem Gal. inquiens, quippe ita cum membrum inflectimus, naturaliter cutis sibi applicatur, quibus uerbis Gal. ut fortasse etiam à doctioribus Chirurgis intellexistis, proponit modum agẽdi, & proponit modum circa administrationem ferri indicantis, ut longitudo sit maior latitudine, ut longitudo sit per transuersum, hoc loco indicans remedium, Quid agendum, non potest esse aliud quàm cutis, ut suo loco diximus, ut habet rationem causæ sine qua non, quare cum proponit modum agendi, necessario debet indi-

cari à

cari à passione cutis, cutis hæc est passio vt promptius admittat puris exitum. Certe Gal. omnia cognouit, cutis hęc est passio vt promptius admittat puris exitum & promptius admittat puris exitum & promptius vniat, si incisio fiat per transuersum. Semper autẽ oportet respicere in Indicationibus ad ea quę permittunt, non debetis tantum considerare Indicantia, sed si adsunt permittentia.

DVBITATIO.

VNde Gale. in primo ad Glauconem 15. dicit, in aëre calidiori opus esse vti oxirhodino actu frigido, in frigido aëre tepido oxirhodino, quæ dicta videntur parere ambiguitatem, nam in aëre frigido egemus medicamento actu magis frigido. Ratio est, nam oxirhodinum, quod habet uim reprimẽdi, magis reprimere debet, quando materia reprimenda magis resistit, magis difficulter patitur, propterea quod modus agendi indicatur à passione, in tempore frigido materia reprimenda magis difficulter cedit, patitur, reprimitur, quam in aëre calido, & cum oxirhodinum magis efficaciter agat, dum actu frigidum administratur, igitur in tempore frigido deberet magis actu frigidum administrari. Oppositum dicit Gal. Ego ignoro quomodo isti sine fundamento huius Meth. possint huic obiectioni satisfacere; ridicula possent proponere.

1. ad Glauc. 15.

SOLVTIO.

DIcatis modum agendi ſemper indicari à paſſione, à nullo alio, unde quo ad materiam frigidam, in hac materia poſſumus paſſionem duobus modis conſiderare, altero modo ut paſſio ſequitur eſſentiam quę eſt frigiditas, quæ indicat calidum, reliquo verò ut eſt paſſio, quę ſequitur eſſentiam, quę eſt materiæ motus, materiæ fluxus, qui fluxus, qui motus indicat remedium reprimens, ſi primo modo capiatur paſſio, ut eſt paſſio materiæ frigidæ, materia ut magis frigida eſt, & proinde ut difficulter patitur indicat medicamentum actu magis calidum non frigidum, quemadmodum materia calida ut indicat frigidum quo calidior fuerit; quo eius paſſio erit magis difficilis indicat medicamentum magis actu frigidum, ſi uerò capiatur ut reprimenda materia frigida indicat reprimens magis actu frigidum quam materia calida reprimenda, & ideò demonſtratur ratio propoſita. Et ratio eſt, quia materia calida facilius reprimitur facilius patitur quam frigida. Gal. igitur conſiderans materiam omnibus modis, hoc eſt & ratione qualitatis primæ, & ratione motus cognoſcens, ſi inuicem conferamus materiam calidam & materiam frigidam, licet materia frigida ratione remedij reprimentis, ratione materiæ reprimentis indicet magis actu frigidum, tamen ratione

paſſio-

passionis frigiditatis, indicat actu calidum, materia calida omnibus modis indicat actu frigidum, & ob id ad hæc fundamenta respiciens Galenus recte dicit ratione materię frigidæ, esse vtendum exorhodino tepido, ratione calidę actu frigido, quia duplex passio materiæ calidæ indicat actu frigidum, materia autē frigida, vna passio indicat calidū actu, vna frigidum actu, Gal. 12. Meth. cap. 3. dicit si æstus fuerit, siue æger sit frigidæ, siue calidæ potioni assuetus frigidum oximel dabis, si autem fuerit hyems, omnibus siue sint assueti frigidis, siue calidis oximel calidum dabis, hoc loco proponit modum agēdi, vt sciamus an oximel sit exhibendum actu, vel calidum, vel frigidum, & voluit Galenus consuetudinem ab aëre superari, quod sit verum, dicit si homo est assuetus calidę potioni in ęstate dabis frigidam, & si frigidæ, dabis in hyeme calidam, quare aër superat consuetudinē, Galenus, vt ego puto, ita est intelligendus, vt ignorem à quo fuerit cognita hęc veritas, Galenus proponit modum agendi circa oximel in febri syncopali ex crudis succis 12. M. 3. vnde indicans hoc loco est succus frigidus viscidus, vt cum hic succus sit indicans, modus agendi indicetur à passione huius succi, nunquam recedemus à nostris fundamentis, modus indicatur à passione huius succi, quare hic succus, vt frigidus, vt crassius, vt viscidus

Nota cōsuetudo supera tur ab aë re.

habet rationem indicantem oximel actu calidum, quia oximel administratum actu calidum efficacius agit, vincit succum frigidum crassum, viscidum, quid autem est illud quod habet rationem prohibentis, est succus pituitosus, vt non frigidus non crassus, nõ viscidus, sed vt liquabilis vt potest fundi, potest autem habere & habet rationem prohibentis, nam vbi hic succus in febri syncopali liquatur, facile est, vt petat viscus principale, & hinc fiat actu syncopis. Quare & cõsideranda est causa ob quam potest liquari, potest liquari vi aëris calidi, qui aër calidus habet rationẽ causæ morbificæ colliquantis hunc succum pituitosum, & vt habet rationem causæ, est etiam signum huius succi, vt est liquabilis, & ideo est signum prohibentis, est signum succi liquabilis prohibentis, & propterea recte dicit Galenus consuetudinem superari ab aëre, vt licet sit assuetus calidæ, in tempore tamen æstatis, quia potest liquare succum pituitosum, vt nõ liquetur, oximel actu frigidum est exhibendum; vnde patet modum agendi indicari à passione tantùm.

LECTIO XXVII.

IAm constat Quomodo agendum indicari à passione materiæ morbificę.

QVANDO.

QVantũ igitur spectat ad Quando agendum, indicatur à præsentia materiæ, vt

sequitur

ſequitur eſſentiam vehementioris indicantis, quemadmodum dictũ fuit etiam de morbo, vt in huius explicatione non ſit tempus conterendum: Propter iuniores notate Gal. 14. M. 16. vbi loquitur de picatione, de med. quæ conficiuntur ex pice, aſſerere neque aſſiduè, neque ſępe vtendum eſſe picatione, & hyeme bis in die, in æſtate ſemel. Hic locus ita eſt intelligendus, vt Galenus proponat Quando agendum, ratione medicamenti ex pice: medicamẽtum autem ex pice eſt materia remedij Indicati à parte frigida, vnde dum adeſt præſentia indicantis, dum adeſt frigiditas partis, licet vti picatione, niſi aliquod prohibeat: Quid eſt quod prohibet? eſt ſanguis à parte attractus per picationem, qui ſanguis æſtatis tempore calido promptius digeritur, diſſipatꝰ, vt merito picatione vti licet tempore æſtatis ſemel tantum, hyeme autem bis, propterea quod ſanguis attractus non ita diſſipatur in hyeme, non ita digeritur, non ita habet vim digerendi in hyeme, ſicut in æſtate.

VBI.

QVo verò ad Vbi agendum indicatur à ſubſiſtẽtia materiæ, ſiquidem id quod agit, agit per contrarium, & ideo neceſſarium eſt, vt materia remedij accedat, deducatur, ad materiam morbificam, verbi gratia, ſi materia morbifica in ventriculo habet ſubſiſtentiam, exhibemus medicamẽtum

per os, & hoc eſt manifeſtum. Sed propter iuniores licet proponere Galeni authoritatem ex cuius intellectione nõ Empirice, ſed Dogmatice patet vlcerum curatio. Inquit Gal. 3. M. vlt. Si vlcus habet ciuitatem profundam, & cauitas ſit in parte inferiori, vt ſanies detineatur, inquit Galenus, vel tota cauitas ſcindenda, vel incidere oportet in fundo tantum, hæc ſunt verba Galeni, & quia aliquis potuiſſet quærere à Galeno, qua ratione cognoſcimus an tota cauitas ſit incidẽda, an in fundo tantum, Galenus reſpondet, hoc docere vlceris magnitudinem, & loci naturam, vt ait Galenus, ſi ulcus ſit magnum, & locus periculoſam ſectionem faciat, expedit in fundo tantũ aperire, ſi contrà, hoc eſt ſi ulcus non ſit magnum, ſed potius paruũ, & locus periculoſam ſectionem non faciat, tota cauitas ſcindenda. Hæc ſunt Galeni uerba: infelix chirurgus, uel barbitonſor, quandoq; & bene ſecabit totam cauitatem, quandoq; fundum tantùm, ſed caſu, fortuna, ſine ratione, ita intelligatis Galenum, Galenus hoc loco proponit Vbi agendum, cauſa materiæ remedij, hoc eſt, cauſa ferri ſcindentis, ut patet an cutis ſit ſcindenda, uel in fundo, uel ſecundum totam cauitatem, hoc eſt Galeni inſtitutum eo in loco. Cũ igitur proponat Vbi agendum ratione materiæ, ratione ferri, ut incidit cutim, neceſſariũ eſt, ut quemadmodum cutis habet rationem

3. M. vl.

indicantis

indicantis Quid agendum, ita ſubſiſtentia cutis indicet Vbi agendum, cutis ſubſiſtentia in ulcere propoſito eſt ſecundum totam cauitatem, & ob id eſſet ſcindenda tota cauitas cutis, niſi adeſſet prohibens, quia hoc eſt perpetuæ ueritatis, ut non modo ſit opus indicante, ſed etiam permittente. Quid eſt illud quod prohibet, eſt uirtus quæ non poteſt ſuſtinere inciſionem totius cauitatis, quo fit, ut ſi ulcus ſit paruum, locus affectus non ſit in cauſa periculoſæ ſectionis, hoc eſt locus affectus non ſit præditus exquiſito ſenſu, neruis magnis, ac uaſis, tũc ulcus paruum, & talis locus affectus ſunt ſigna uirtutis permittentis inciſionem totius cauitatis, ſi autem cõtra ulcus ſit magnũ, uel locus incidẽdus ſit affectus neruis, uel magnis uaſis, eſt in cauſa periculoſæ ſectionis, & ob id ulcus magnum, & locus propoſitus ſunt ſigna uirtutis prohibentis, non ſunt prohibentia, ſed ſunt ſigna uirtutis prohibentis: præterea Galenus ad eandem ueritatem reſpiciens 5.M.3. dicit Reuulſionem moliendam in ijs, 5.M.3.
quæ ſupra deorſum, in ijs, quæ infra ſurſum, quia ſcilicet reſpicit ad ſubſiſtentiã, ut ſequitur eſſentiam, quæ eſſentia eſt motus impetus ſecundum partem, uel ſupernam, uel infernã, uel dextram, uel ſiniſtram, uel internam, uel externam, quomodocunque, unde etiam addebat 13.M.2. quę uena ſit ſecanda ex parte 13.M.2
laborante indicatur. Intelligatis partem la-

borantem nō indicare ubi agendum, ſed eſſe ſignum ſubſiſtentiæ ſanguinis, ut uerbi gratia ſi iecur afficiatur baſilica ſecanda, quia ita indicat ſubſiſtentia, cuius ſignum eſt iecur affectum, & hęc ſat eſſe deberent, quo ad materiam morbificam indicantem & Quid agendum, & uſum.

DVBITATIO.

PRopter iuniores libet proponere unicam dubitationem, quę reſpicit quando agēdum, inquit Gal. 5. M. 3. Cum è naribus ſanguinis erumpit, ubi paululum detraxeris ſanguinis, mox unam horam intermittens rurſus detrahes, quare Galenus in Reuulſione uenæ ſectionem repetit eadem die nō diuerſis diebus. Idem Galenus libro curatiuo per uenæ ſectionem capite 21. dicit, in uenæ ſectione, ubi inſtitutum eſt euacuare, eadem die repetenda eſt uenæ ſectio, in Reuulſione autem diuerſis diebus: quare Galenus ſibimet aduerſatur, & hęc dubitatio nō eſt negligenda, maximè refert ſcire, quādo repetenda eſt uenæ ſectio, in eadem die an diuerſis diebus.

5. M. 3.

Solutio autoris.

DIcendum ſanguinem indicantem cum in præſentia accipi poſſit, ut peccat, uel copia uel impetu, quomodocunque peccet, utrunque peccatum bifariam accipi poſſe, altero modo, ut homo lęditur actu, reliquo uero, ut poteſtate. Si capiatur primo modo, ut

homo

homo actu læditur, siuè peccatum sit in quanto, ut Indicatio sit uacuandi, minuendi, siue in motu, ut indicatio sit reuellendi, expedit eadẽ die non diuersis uenæ sectionem repetere, & hoc modo loquitur Gal. 5. M. 3. ibi namq; uerba facit de sanguinis motu, ui cuius homo actu lędítur, homo patitur immoderatum sanguinis fluxum, quare in praxi obseruetis, siue intentio sit uacuandi siue reuellendi, ut eadẽ die repetatur uenæ sectio, ratio est, quia ubi sanguis actu lædit pręsentiam habet, quæ sequitur essentiam admodum uehementem, si autem alia ex parte sanguis non actu lædat, sed possit lędere, uel copia peccat uel impetu: si copia eadem die, si impetu diuersis diebus: & propterea in Vacuatione eadem die, in Reuulsione diuersis diebus. Ratio est, tum quia copia magis potest, & præterea, ut peccatum secundum quantitatem uires melius perferũt repetitam uacuationem eadem die, & secundum hanc rationem locutus est Gal. libro illo curatiuo per uenam sectam cap. 21. Nam expresse proponit sanguinis peccatum non ut actu lædit, sed ut potest lędere. Hæc de causa morbifica.

5. M. 3.

Ratio.

De Symptomate.

Dicendum igitur de Symptomate, & de more primum declarare oportet, quomodo cõcurrat ad Quid agendum: Secundò ad Vsum, ad rectam administrationem.

2.M.12 Quo ad quid agendum, Gal.2.M.12.dicit symptoma primum, idest, per se, per suã essentiam non indicare, si symptoma non indicat per suam essentiã, ergo non indicat, quia quid agendum à sola essentia indicatur. Addebat 12.M.1 Gal.12.M.1.Symptoma nec indicare, nec immutare, idest, nõ prohibere, symptoma igitur nec indicat, nec prohibet. Addebat autem loco citato Galenus symptoma ex accidenti aliquando mutare curationem, vt significaret Galenus symptoma, quandoq; ex accidenti curationem immutat, hoc est, prohibet, etiam necessario indicat, quia id quod prohibet necessario etiam potest indicare. Sed quomodo indicat ex accidẽti? inquit Galenus, vt habet rationem causæ, quare necessario colligendũ, symptoma esse indicans præseruatorium, hoc enim uerissimũ est, nullum dari indicans pręter curatorium, præseruatorium, & uitale. Symptoma igitur ex accidenti, hoc est, ut habet rationem causæ, est indicans, & ob id, præseruatorium.

Cæterùm cum Symptomata sint triplicia, siquidem symptoma, uel actio, uel exiens, uel qualitas. Symptoma cum Galeno loco citato, quod habet rationẽ Indicantis est actio læsa, est excretum mutatum, nequaquam qualitas mutata, & reddens rationem Galenus, inquit qualitatem mutatam non indicare, propterea quod cum affectu unde nascitur, unà cessat,

quæ

quę Galeni dicta mihi ſatis intellectu difficilia eſſe uidentur. Difficultas autem inde oritur, quia actio lęſa eſt in fieri, qualitas immutata, uerbi gratia, calor in Ictericia eſt in facto eſſe, ſi ergo actio eſt in fieri, & qualitas in facto eſſe, quomodo actio indicat, qualitas non indicat, quia ceſſat una cum morbo, cum affectu, hoc falſum eſſe uidetur, imo actio ceſſat una cum morbo, cum affectu, quia pendet à morbo, non qualitas.

SOLVTIO.

EGo hunc in modum ſoluerem, uos iudicabitis, nil dico de excreto, quia non patitur difficultatem. Dicerem, inquam, actioné lęſam ſecundum ſuam eſſentiam eſſe in fieri, quia hoc nequaquam eſt negandum, at actio læſa ſecundum perſeuerantiam læſionis, ui cuius patiens affligitur, cruciatur, habet uim indicandi, quia perſeuerat, perſeuerando cruciat, ad hoc auté, ut indicet, neceſſarium eſt, ut non ceſſet una cum affectu, & hoc dico, ut uos cognoſcatis, nos nulla ex parte uelle ſubterfugere, oportet, ut non ceſſet una cum affectu, nam ſi actio ceſſet, minuatur in ſimul cũ affectu, tunc id quod indicat non eſt ſymptoma, ſed eſt affectus, ut ſi contingat uno remedio, & ſymptoma, & affectum leniri, mitigari, rẹmedium nõ indicabitur à ſymptomate, ſed à morbo, ut uerbi gratia, in pleuritide adeſt dolor, adeſt inflammatio, ſi uena aperiatur,

per uenam ſectam minuetur dolor, minuetur inflammatio, quid eſt quod indicat uenæ ſectionem.

Exemplum de pleuritide.

Actio ſine affectu quo indicat.

DO exemplum in pleuritide dum ſecatur uena imminuitur dolor, & affectus, id autem quod indicat non eſt dolor, ſed eſt ſanguis, ad cuius imminutionē imminuitur etiā dolor, & ideo dolor non indicat, quia imminuitur, mitigatur una cum affectu.

Quando Dolor ſine affectu.

DOlor alia ex parte cum Galeno loco citato habet rationem indicantis, quia non imminuitur una cum morbo, ſed potius intenditur ad imminutionē affectus. Do exēplum, uerbi gratia, in putrida dyſenteria cum dolore, ſi nos utamur ſucco tragi, ſi uerbi gratia, utemur lacte, imminuetur dolor, ſed dyſenteria magis putrida reddetur, magis fiet putrida, ſi uerbi gratia, utamur mumia, aqua ſalita, imminuetur putredo, ſed intendetur dolor: ecce igitur quemadmodum datur dolor, quemadmodum datur ſymptoma, quòd ita perſeuerat in læſione, ut læſionem habet perſeuerantem, permanentem, & non ceſſet, non minuatur inſimul cum affectu, imo potius intendatur, ita intelligatis Gal. ratione doloris.

Nam quo ad fluxum quo ad excremētum fluxus immoderatus perſeuerat in lęſione, & ideo poteſt habere rationem Indicantis.

Pręterea

Præterea non cessat, non imminuitur una cum imminutione affectus, ut contrarium indicet, quemadmodũ dictũ est de dolore, uerbi gratia, sit fluxus immoderatus, materię prauę, fluxus indicat astringens materia uacuans.

De tertio Symptomate quomodo non indicet.

HOc nõ potest statui de qualitate, de tertio symptomate, nam qualitas licet respectu sui essentiam habet per manentiam sit in facto esse, ut uocetur à Galeno affectus, ueruntamen caret alijs cõditionibus propterea, quòd sui perseuerãtia nec uirtutem lædit, nec morbum auget, quemadmodum reliqua duo symptomata. Pręterea non potest indicare remedium, quod morbum intendat quemadmodum actio læsa, quemadmodũ excrementum, nam præsidiorum materiæ, quæ sanant morbum, sanant etiam qualitatem, & ob id Galenus dicit qualitatem mutatam cum affectu, unde nascitur unà cessare, quia scilicet remedium quod sanat affectum, sanat etiã qualitatem in Ictericia, si aliquid supersit post remotam, uerbi gratia, uesicę felleæ obstructionem, id quod remanet non ad artem curatricem, sed ad Decorationem pertinet. Constitutum igitur sit in ratione causæ indicare, ut est uel actio, uel excrementum. In sequenti quomodo symptoma cõcurrat secundum essentiam genericam, & specificam dicemus, & de uirtute etiam loquar.

LECTIO XXVIII.

DIctum fuit symptoma, ut habet rationē causæ, uel augētis morbum, uel lædentis uires esse indicans præseruatorium. Hoc autem symptoma esse, & actionem lęsam, & exiens mutatū, unde in præsentia admoneantur iuniores, Gal. dixisse 12.M.1. symptoma ex accidenti curationem mutare, esse tamen per se indicans. Vnde indicans ex accidenti potest capi dupliciter. Recte intelligatis hanc distinctionē, quia est fundamētum methodi.

12.M.1

Indicans ex accidenti dupliciter accipitur.

INdicans ergo ex accidēti dupliciter potest capi, primo modo, ut finē per accidens respicit, vt verbi gratia, virtus per se est indicās vitale, quia per se respicit vitam. Virtus autem dicitur indicans ex accidenti, vt verbi gratia, in venę sectione vt respicit finem ex accidenti, nam ex accidenti respicit vacuationē sanguinis, quem finem per se respicit sanguinis peccatum, ut uirtus hoc loco accepta, ut indicans ex accidenti non sit per se indicans, sed vocatur potius permittens. Secūdo modo accipitur indicans ex accidenti non ratione finis, quia non esset per se Indicans, sed quia per naturam accidentalem Indicat, id est, per naturam, quæ sibi accidit, indicat vt symptoma, quod non ut symptoma, sed ut causa per essentiam causę, quę sibi accidit indicare potest, & hoc modo hoc in loco accipitur, & ob

Nota optime dicta.

id

Id symptoma per se est indicans, quia respicit per se finem quem respicit causa, at hunc finem non respicit ut symptoma, sed ut inquit Gal. ut habet rationem causæ, ut symptoma ita acceptum sit per se indicans, & indicans præseruatorium, & indicans genericum, & indicans specificum, ut uerbi gratia, symptoma in genere, ut habet rationem causę indicat sui remotionem quid agendū genericum, dolor indicat mitigatorium præsidiū, fluxus immoderatus astringens, & sic de reliquis.

DE VSV.

QVo spectat ad usum, quantum indicatur ab actione symptomatis, ut dictum est de morbo & causa, modus à passione & non est, & non est ut repetamus.

QVANDO.

QVando agendum indicatur à præsentia ut sequitur essentiam vehementiorem vt symptoma, hoc intelligatis, quādoque habet rationē causæ principalis quandoque causæ sine qua non, & quandoque vrgentis, Vnde Galen. 12. M. 1. comparat symptoma & cum virtute & cum affectu præter naturam, ut patet quodnam magis potest, & comparans cum virtute si collabantur vires, non tamen uehementer sint resolutę, ad symptoma tantum respiciendum, ecce magis potest symptoma quam virtus debilis non uehementer tamen dissipata. si vero dicit Gal. 12. M. 1

uehemēter resoluantur uires, oportet & symptomati prospicere, occurrere, & uires firmare, maxime igitur potest symptoma ut licet uires sint admodum resolutæ, sit tamen necessariū occurrere symptomati, ut uerbi gratia si dolor urgeat, & uires sint debiles resolutæ, oportet occurrere & dolori & uiribus, nam si solis uiribus occurramus, dolor ut urget poterit esse hinc causa mortis. Conferens Gal. symptoma cum affectu dicit, si utrunque urgeat quandoque magis potest symptoma, quandoque magis affectus, & ita magis potest quandoq; affectus, ut spreto symptomate dolorificis sit occurrendum, quod autem magis possit, hoc est quod magis potest an symptoma an affectus, nobis significat uirtus, ut si uirtus sit robusta, firma, magis possit affectus, sit occurrendum affectui, si autem cōtra uires sint debiles, in primis dolor mitigandus & uires firmandæ, antequam perspiciamus ad affectum. Quantum attinet ad Vbi agendum, idem est dicendum quod dictum est de reliquis, uerbi gratia, si dolor est in manu, mitigatoria sunt applicanda manui. Et hæc de indicante præseruatorio.

Nota.

DE VIRTVTE.

QVantum attinet ad uirtutem in primis ut cōsueuimus explicabimus quomodo concurrat ad indicandum quid agendum, secundo ad usum.

Quo

Quo ad primum uirtutem habere rationem indicantis euidenter dicit Gal. 9. Meth. 6. Nam habet Indicationem ſumi à laborantibus uiribus. Ecce Indicatio ſumitur à uirtute, dicit etiam 2. Meth. 3. ut ab affectu præter naturam ad materias præſidiorum deducimur, ita & ſingulis generibus indicantium ueluti dicit Galen. à uirtute, quare uirtus eſt unum ex primis generibus Indicantium. Sed Gal. 9. M. 13. ſatis diligens ratione uirtutis indicantis uocabat uirtutem indicans uitale nō curatorium, non præſeruatorium, ſed uitale, quod ſit uerum dicit, Indicatio à uirtute è numero eſt Indicationum, ut ita dixerim uitalium, ſiue quæ ad uitæ cuſtodiam pertinet, uirtus indicationem habet, quæ pertinet ad uitæ cuſtodiam, Nam dicit Gal. neque ut ualeamus neque ut à morbo liberemus, à uirtute quicquam primum deſumimus, ſed ut uiuamus, his uerbis & diuinis ſignificans Gal. uirtutem primū, id eſt per ſe reſpicere uitam, quia ex accidenti reſpicit & morbum & cauſam, ut cum ex accidenti reſpiciat morbum, reſpiciat cauſam, poſſit eſſe indicans uel curatorium uel præſeruatorium & cum per ſe reſpiciat uitam eſt indicans uitale, ob id Gal. 9. M. 13. dicit uirtutem primum indicare ſui cuſtodiam, ex accidenti uero relationem habere ad effectum, ut ſignificaret uirtutē propria ratione indicare, ut per accidens alios fi-

9. M. 6.

2. M. 3.

9. M. 13

nes

nes respicit permittere. Vnde etiam dicit idē Gal.2.M.9. uirtutem perpendendam semper esse propter uitam, aliquando ex accidenti ad
10.M.2 morborum sanationem 10.M.2.dicit, quod à uiribus petitur in febribus ephemeris exiguū est, in longioribus febribus maioris momenti, ut euidentissime patet uirtutem esse indicās, & per se uitale indicans, cum uirtus sit indicans uitale, necessarium, ut quid agendum, per suam essentiam, & genericam, & subalternam, & specificam, quemadmodū etiam reliqua indicantia quo ad essentiam genericam, uirtus accipitur, ut quid secundum naturam in quod reliqua omnia secundum naturā reseruantur, ut sola uirtus sit indicans uitale, unde satis pueriliter loquuntur, qui & aërem, & ętatem, & consuetudinem inter indicantia uitalia recensent, dicit autem Gal.2.M.3.uir-
3.M.3. tutem indicare sui custodiā, ut enim duo sint scopi dicit Galenus, idest, essentia indicantis, & indicatum: primus scopus est indicans, secundus est indicatum, idest, custodia, nam indicatum procedit ex indicante, ut uterq; scopus, & primus & secundus sit genericus. Cęterùm secundus scopus, idest custodia ait Gal. similium exhibitionem indicat, quòd dictum si in superficie intelligatur, reddit Galenum plus quam puerum, quia custodia est indicatum, indicatum non potest indicari i.e. indicans, quomodo igitur custodia, quę est secun-
dus

dus scopus, quæ est indicatum, habet rationẽ indicandi, potest cum Galeno similium exhibitionem indicare. Quare ita intelligatis Galenum, ut essentia uirtutis indicet custodiam, quæ custodia indicat, idest, significat pręsidiũ simile, ut in morbis sublatio significat cõtrarium, ut generica indicatio à morbo desumpta sit cõtrarietas, idest contrarium remediũ, & à uirtute sit custodia, idest, iuuans simile, idest, quod simile esse debet, sed quid est hoc simile siue subalternum, siue etiam specificã 9.M.13. cum indicatio à uirtute accepta sit uitæ custodia, ut uita sit uel facultatum numerus seu facultatum essentia, uel facultatum actio. *9.M.13*

Vt uirtus sit potentia animæ uitam custodiens, atque cum Gal. 9.M.10. cum tres sint facultates, seruare facultates, inquit Gal. est uitam seruare, uerum cum facultates non operentur, nisi per obiecta, & organa, ob id Galenus à quo nunquam recedendum 2.M.1. dicit uirtutis essentiam compleri ex substantia spirituali solida, & carnosa, neq; turbetur iunior licet dicat Gal. 12.M.1. cõpleri uirtutis essentiam ex substantia spirituosa, solida, & pręter mittat carnosam. Nam dicãt alij quicquid *Dubit.* uelint loquitur Galen. de syncope, quæ non fit ratione carnis, idest, loquitur de uirtute ratione syncopis, quæ non fit ratione carnis, ut uir- *Solut.* tus minorem locum obtineat in carne, præ-

ſtantiorem in ſpiritibus præſtantiſſimũ in ſolidis. Hoc colligatis, uitalem Indicationem capi à continente, & impetente, non autem à contento, & ratio euidentiſſima eſt, quia contentum, quia humor etiam ſecundum naturã ad actionem non concurrit, nec eſt organum, ſed eſſentia uel effectus, ſeu opus, uel obiectũ, propterea contentum nõ poteſt eſſe indicans uitale, ſed continens, quia concurrit ad actionem, ut quod & ſpiritus, quia concurrit, ut cũ quo admoneantur iuniores, quo ad continens præter propriam ſubſtantiam obtinere calidũ innatum, quod aliud eſt à ſpiritu, aliud eſt à temperie, quod calidum innatum ſurſum, & deorſum mouetur, & hoc pro nunc ſupponatis, quia aliter fortaſſe loquemur de partibus continentibus, ut uirtutis cuſtodia, ſit cuſtodia ſpirituum, ſolidorum carnis, ideſt ſeminalium partium, & calidi innati, in quibus quatuor ſunt ſeruanda, hoc eſt ſubſtantia, quantitas, qualitas, & motus, & omnia cum Galeno ſuo loco probabimus, quæ quatuor ita ſe habent, ut in aliquibus omnia habeant locũ, ut uerbi gratia in ſpiritibus, quia in ſpiritibus, oportet ſeruare ſubſtantiam, quantitatẽ, qualitatem, & motum, in carne & ſolidis, oportet ſeruare omnia præter motum.

Nota. Campibegus agit cõtra hoc dictũ & falsò, quia nec authoritatib. nec argumentis cõcludit, nec humorex Gal. põt eſſe iſtrumentũ actionis. Optime dicta.

LECTIO XXIX.

Vt poſſimus conſequi quid agendum, dictum fuit uirtutis eſſentiam eſſe, uel

ſubſtan-

ſubſtantiam, uel quãtitatem, uel qualitatem, uel motum, ſiue hæc perpendantur in ſpiritibus, ſiue in carne, ſiue in ſolidis particulis, ſiue etiam in calido innato, hæc autem inuicẽ ita ſe habent, ut omnia indicent cuſtodiam, omnia indicent præſidium ſimile non auferens, & quia hæc doctrina aliquo modo noua eſſe uideatur, expedit ut hanc doctrinam Galeni authoritatibus confirmemus.

De Svbstantia.

Qvo ad ſubſtantiam, ſiue ſit ſubſtantia ſpirituum ſiue carnis, ſiue partium ſeminalium, ſiue etiam calidi innati, ſubſtantia in genere indicat iuuans ſubſtantificum, quod medici cum Galeno recte uocãt alimentũ, ad differentiam remedij, unde Gal. 9.M.13. dicit, ſeruari uirtutẽ ſi ſubſtantia non imminuatur, ecce cuſtodia limitatur, & eſt cuſtodia ſubſtantiæ, ut propterea cuſtodia ſubſtantię, iuuans ſubſtantificum, ſeu alimentum à ſubſtantia indicetur, dicit Gal. 2.M.14. ratione febris nutriendum nõ eſſe, ut ſola febris nutrimentum indicet, & reddit Galenus rationem, ut quod innatum eſt ſubſtantia reparetur; ecce nutrimentum, alimentum indicatur à ſubſtantia uirtutis, unde quia Galenus primo de ratione uictus 44. aſſerit à uirtute ſolã indicari alimoniam, intelligatis ſolam alimoniam indicari à uirtute, non omnibus modis accepta, ſed ſecundum eſſentiam, quę eſt ſub-

9.M.13

2.M.14

ſtantia uirtutis, & adhuc hoc alimentum hoc indicatum ſatis genericum eſt, magis determinatum, & ſpecificum proponitur à Gal. 2.
2. M. 3. M. 3. ubi cum uoluerit uirtutis ſubſtātiam indicare alimentum indicare iuuans ſubſtantificum, ut uirtutis ſubſtantia uaria eſt, ita uariū alimentum indicat, ut cū eodem Galeno loco citato uirtutis ſubſtātia ſit uel tenuis uel craſſa, uel medio modo ſe habens, ut uerbi gratia cum eodem Gal. loco citato cum ſpiritus ſubſtantia tenuiſſima ſit, ſolidorū craſſa, carnoſi generis media inter tenuem, & craſſam, ſequitur ut ſpiritus ſubſtantia indicet alimentū tenuiſſimum: ſolidorum ſubſtantia alimentū craſſius, carnis ſubſtantia alimētum medium inter tenue, & craſſum, &. ſanè hæc doctrina materia eſſe uidetur & eſt. Notetur tamen dari in ijs ſubſtantijs latitudinem, ut uerbi gratia in puerili ætate, ſolidorum ſubſtantia, quæ craſſa eſt, eſt minus craſſa, quam in alijs ætatibus, datur itaque latitudo, ſed non propterea ætas eſt indicans alimentum, ſed ſola uirtutis ſubſtantia, ſed ætas per mediam temperaturam eſt ſignum ſubſtantiæ ſolidæ magis, uel minus craſſa, ut uerbi gratia in pueritia temperatura calida, & humida, ut ſit ſignū ſubſtantiæ ſolidæ minus craſſæ mollioris. Apparet igitur quemadmodum ex Galeni ſententia à virtute, ut eius eſſentia eſt, ſubſtantia indicatur ſolum alimentum, & de-

terminatum.

terminatum, prout est determinata etiam substantia.

DE QVANTITATE VIRTVTIS.

QVo ad quantum quinimmo ad quantitatem unà cũ qualitate, quæ sunt duæ essentiæ uirtutis Gal. 2. M. 3. dicit in 2. M. 3.
substantia uirtutis perpendenda esse quantitatem, & qualitatem, ecce in uirtute conside-ramus, & qualitatem, & quantitatem, & eo loco addebat Galenus similium indicationẽ hoc est custodiam capi, indicari ex quantitate substantiæ partium, scilicet uiuentium, & spirituum, ut admodum diligẽs fuerit Galenus, per quantitatem autem intelligit quantitatẽ continuam, sicubi cum Gal. 2. M. 1. numerus 2. M. 1.
partium semper maneat, idest duo oculi, quinque digiti, &c. at quantitas cõtinua, idest magnitudo solidorum hoc est partium seminaliũ in ijs corporibus, quę augentur crescunt, non est eadem, sed augetur seminalium partium magnitudo in incremento, addit autem Gal. carnis aut substantia, aut spiritus non materia in corporibus, quæ augentur, sed etiam in absolutis mutantur, modo augetur, modo minuitur quantitas, qualitas, hinc sequitur, si solida sint maiora, ut cognoscatis quomodo quid agendum indicetur à quantitate, indicant alimentum maioris nutrimenti, magis nutriens, cuius materia est, uerbi gratia caro corporis, si solida sint minora, indicãt alimentũ minus

nutriens,cuius materia est caro pulli,unde loco citato subdit Galen.similium mensuram ex conseruandæ substantiç quantitate inueniri, indicari,Ecce similium mensura hoc est quantitas determinata, hoc est quid agendum specificum indicatur à quantitate à magnitudine substantiæ conseruandæ.

DVBITATIO PRIMA.

Apho.14 SEd propter iuniores dubitare licet ex Galeni prima Aphorismorum 14. ubi uoluit cum Hipp. pueros egere plurimo alimento, tamen pueri sunt minores adultis.

EXPLICATIO, ET SOLVTIO.

SCio clarissimos Theoricos hanc ambiguitatem destruxisse, sed memoriæ uestræ gratia, dicerem ego à magnitudine indicari mensuram alimenti dummodo seruetur paritas,quare oportet complere, comparare adultum cum adulto, uirum cum uiro, puerum cũ puero,non puerum cum uiro,scio nisi comparemus uel puerum cum puero, uel adultum cum adulto,non seruabitur paritas, nam puer eget alimento,& ut conseruetur,& ut crescat, uir autem adultus eget alimento, non ut augeatur,quia non amplius augetur,sed ut conseruetur, quare si duo sint adulti alter maior, alter minor,rationi cõsentaneum est,opus esse copiosiori aliměto causa maioris. Notetur autem calidum innatum,quia Hippocrates loco citato dicit,qui crescunt, plurimum habent

calidi

calidi innati, ergo plurimo egent alimento. Notent iuniores calidum innatum esse signū dissolutionis substantiæ à qua indicatur alimentum magis, uel minus nutriens, idest, ut magis, uel minus dissoluitur, dissipatur, ut uirtus siue sit debilis siue sit robusta indicet per præsentem substantiam, per præsentem quantitatem, ut prout imminuitur, inueniatur indicet alimentum reficiens, & indicet substantiā deperditam, & indicet magis uel minus deficiens, & hoc est quid agendum specificum, sed æquale in uirtute robusta, inęquale in uirtute debili, quia oportet debilem uirtutem robustam reddere.

DE QVALITATE.

QVo verò attinet ad qualitatem, quæ & ipsa est essentia virtutis, & proinde indicat, non est signum dicit Gale. 2. Meth. 13. similium indicationem, loquitur de custodia non de contrarietate, dicit igitur similium indicationem capi à temperamento laborantis partis, & omnium partium, & earum quæ sunt principales, & præterea à qualitate substantię spiritus, Ecce igitur quemadmodum capit indicationem à qualitate partium à qualitate spirituum, & ut sciatis rectè assequi Gal. dico propter iuniores aduertatis, dum Galen. proponit similium indicationem indicari à continentibus proposuit temperamentum, dum autem inquit indicari à spiriti- 2. *M*. 13

bus non à solidis, non proponit temperamentum, sed qualitatem, & ratio fuit, quoniam ut facile etiam cognoscũt qui græcas literas callent, temperamentum est cõstitutio partium; partium viuentiũ, vt cum spiritus non uiuant, spiritus non operentur, propterea merito solidorum proposuit temperamentum hoc est constitutionem gratia autem spirituum, qua-
9.M.13 litatem, Præterea dicit Galen. 9.M.13. seruari virtutem sine alteratione. Pręterea lib. 2. M. cap. 1. dicit in substantia virtutis perpendendam esse tum quantitatem tum qualitatem, sed admoneantur iuniores à qualitate indicari simile, quia est qualitas essentia virtutis, est indicãs vitale, quare indicat simile, quod simile non est alimentum, sed remedium, vt quando dicit Gal. passim alimentum solum indicari à virtute, intelligit à virtute, vt cuius essentia est substantia vt alimentum etiã determinatum indicari possit, à quantitate substantiæ virtutis, vt medicamentum, ut remedium indicatur quidem à virtute, sed ut eius essentia est qualitas, & ideo dicit Gal. 2. M. 5.
2.M.5. qualitatem nutrimenti accipi hoc est indicari à morbi affectu, una cum solidorum temperamento. Ecce præponit qualitatem nutrimenti, medicinali, ut medicamentum remediũ indicetur à morbi affectu & à temperamento solidorum, vt indicatur à morbi affectu, hoc est à causa à materia morbifica, quæ

si

si calida est indicat frigidum, hoc indicatum est præseruatorium, si respiciat conseruationem temperaméti solidorum, respicit ut conseruet, unde est indicatum uitale, quare qualitas nutrimenti, nó est unum indicatum semper, sed potest esse duplex præseruatorium, ut indicata qualitate materiæ morbificæ vitale ut indicatur à temperamento solidorum. Hoc autem cum Gal. 8. M. vlt. debet esse simile, sed præterea Galen. lib. 2. M. 3. dicit alimentum an debeat esse uel calidum uel frigidum indicari. à temperie substantiæ, quare à qualitate, quare qualitas potest esse essentia uirtutis, potest etiam esse uirtutis essentia motus, ut uerbi gratia, motus calidi innati indicat conseruans, & ut cognoscatis hanc meam nó esse doctrinam, sed Galen. videatis Gal. 2. M. 15. vbi ait astringentia idonea esse: Quare astringentia sunt idonea, nam inquit Galen. roborant affectam partem, ut pars affecta excrementa non suscipiat, Ecce igitur quemadmodum astringens indicatur à parte à virtute, quia indicatum est custodia, indicatum est corroboratio partis, vnde loco citato dicit Galenus, præcipue autem roborare astringere oportet, ratione ventriculi & iecinoris, nam hæc uiscera in morbis operantur. Ita intelligatis Galenum ut virtus partis indicetur per calorem naturalem, calidum innatum, quod calidum innatum indicat vniens, indicat

8. M. vl.

Q̃uo pars Indicat.

astrin-

astringens, pro sui custodia, & ideo ne dissipetur motus ut conseruetur motus calidi innati, indicatur roborãs, uniens, astringens, &
2.M.16 ob id 2. M. 16. in lienis affectibus admiscet astringentia, ut roboretur viscus ut custodatur viscus, hoc est ut conseruetur calidi innati motus, & propterea dicebat 13. M. 16. partes indicare sui robur, pars igitur est indicãs, hoc est virtus per motum calidi innati, vnde 10. M. 10. dicit Balnei partes frigidas uires firmare, ecce balneum est materia indicata à virtute, quia roboratur uirtus, id est, unitur calidum innatum, in sequenti proponemus Gal. autoritates 13. M. 3. & potissimũ 8. M. ul.

LECTIO XXX.

DVBITATIO.

13.M.12 DVbitare aliquis posset quoniam Galen. 13. M. 12. dixit, in incipiente inflammatione Epatis licet uti oleo astringente, in inflammatione oculi autem nequaquam. Diceret aliquis si Galenus improbat astringens in inflammatione oculi, ergo falsum est, quod heri ex mente Galeni fuit propositum, opus esse partes roborare, astringere, & proinde calorem vnire.

SOLVTIO.

DIcatis Galenum hoc loco non loqui de remedio, de Indicato, de remedio astringente, sed de materia remedij quia proponit oleum, si Galenus in inflammatione impro-

baret aſtringens, non poſſet excuſari, Improbat oleum aſtringens propterea, quod ſicuti iecur poteſt oleum perferre, ſuſtinere, contra oculus nequaquam, ſed hoc cognoſcere non pertinet ad Methodum medendi, ſed ad doctrinam de medicamentis, in qua doctrina addiſcimus oleum eſſe materiam quam non poteſt oculus ſuſtinere, Præterea dicit Gal. 2. Meth. 14. Si puer ante 14. annum laboret ſynocho cum putredine ſanguis non eſt mittendus, quem locum ita intelligatis, ut ætas puerilis ſit ſignum virtutis prohibentis venæ ſectionem, vt ætas eſt ſignum temperaturæ, vi cuius diſſoluitur ſubſtantia virtutis, Quod ſit verum ſubdit Galenus, cum pueri calidi & humidi ſint, plurimum ſubſtantiæ diſſoluitur, quo fit vt reliqua quæ ibi etiam proponuntur à Gal. ſiue ſit habitus, ſiue cõſuetudo, omnia ſint ſigna virtutis, & nullum ſit indicans, patet igitur qua ratione quid agendum & genericum & ſpecificum indicantur à virtute, libet autem propter iuniores Galeni locum in medium adducere, quia intellectu eſt admodum difficilis, dicit Galen. lib. 8. Meth. vltimo rarò accidere, vt in Ephemeris indicatio capiatur à natura virium à virtute ad differentiam febrium putridarum, & ethicarum, ſi quidem & in putridis & in Ethicis, indicatio eſt ſumenda à virtute. Subdit deinde Galenus licet indicatio à virtute tum in omni

2. M. 14.

morbo

morbo tum in ephemeris semper sit adhibenda, nobis tamen, inquit Galenus in præsenti disputatione non est opus indicatione à uirtute, quoniam inquit Galenus, uirtus in Ephemeris primum non indicat, sed ex accidenti, quibus uerbis significat indicatum à uirtute per se propria ratione non habere locum in ephemera, sed solum ex accidenti, in eodem tamẽ est, proponit uictum medicinalem, propria ratione indicatum in ephemera à uirtute propria ratione per se, non ex accidenti, propterea ibidem dicit indicationem à uirtute sumptam semper in ephemeris perpendendã sicut in omni morbo, idem habet Gal. 10. M. 1. ubi uoluit in ephemeris perpendendam esse indicationem desumptam à uiribus, unde quidam fortasse hanc difficultatem nõ potentes dissoluere dixerunt particulam illam, uires, uirtus, desiderari in codice Græco, propterea, quod in ephemeris indicatio ex accidẽti tantum non autem propria ratione sumitur à uirtute, Vt intelligatis Galenum duo sunt supponenda. Primum uirtutis essentiam esse, uel substantiam, uel temperiem. Secundum supponendum est uirtutem accipi, uel solam, ut indicat uitale præsidium, uel collatam cũ alio indicãte, an scilicet, uel magis, uel minus possit, ut quo robustior est uirtus eo magis despiciatur, unde Gal. 9. M. 9. ait uirtutem in Ephemeris egregiam prouidentiam non requirere,

Dubitatio.

10. M. 1

quoniam

quoniam omnino ualida est, ecce uirtus ualida despicitur, cõtra statuendum est de uirtute debili, nam uirtus debilis magis officit uitæ. Oppositum est statuendũ de rebus præter naturam, ut quo res præter naturam sunt robustiores eo maiorem prouidentiam postulant; quoniam magis nocent uitæ.

SOLVTIO.

QVibus duobus suppositis si capiatur in primis, & nunc cognoscetis impossibile esse intelligere Galenum sine hac Methodo, si igitur capiatur uirtus, ut eius essentia est temperatura, locum habet in ephemeris siue uirtus sola perpendatur, siue etiam conferatur cum alijs indicantibus, & secundũ hanc rationem Gal. 8.M.vlt. locutus est de uictu medicinali, de indicato alterante, nõ modo curatorio, ut indicatur à febre, uerumetiã uitali, ut indicatur à temperatura, non à febre ut temperatura est essentia uirtutis. 8.*M.vl.*

NOTA.

SI verò alia ex parte capiatur uirtus, ut eius essentia est substantia, secundum quam essentiam non indicat uictum medicinalem, nõ indicat alterans, sed iuuans substantificũ, idest, alimentũ primum, si sola uirtus perpendatur hoc est non comparetur cum alijs indicantibus locum habet cum alijs morbis, idest, in omni morbo, quare etiam in ephemera, & hoc est, quod significat Galeno loco citato,

quando

quando dicit uirtutem perpendendam esse in omni morbo, & semper in ephemera. Si autem uirtutis substantia secūdo modo accipiatur, hoc est ut comparatur cum alijs indicantibus, indicatio à uirtute rarò habet locum in ephemera, non semper, quod cognoscens Galenus loco citato, ait licet indicatio semper capiatur à uiribus, non est tamen opus indicatione in præsenti disputatione, quę est hæc disputatio? Disputatio quam ibi proponit Gal.
8.M.vl. 8.M.vlt. uersatur circa uehemētiam plurium indicantium, ut cognoscamus quodnam indicans sit uehementius, cui indicanti sit indicandum, & ideo si cōferatur uirtutis substantia in ephemeris cum reliquis indicantibus, robusta est uirtus, ideo despicitur, raro habet locum, contra in putridis, contra in Ethicis, hunc igitur ego puto esse exquisitum sensum illorum uerborū. Hactenus de Quid agendū.

De Vsu, Qvantvm Agendvm.

Qvo ad usum, quantum agendum capitur ab actione, non ab actione læsa, sed ab actione uirtutis, quia nunc est sermo de uirtute. Verbi gratia, si uirtutis actio est maior, exhibemus carnem Caponis in maiori copia, nam uirtus cuius actio est uehemētior potest copiosiorem carnem uincere, unde
1.ad Gl.9 dicit Gal. 1. ad Glaucum 9. cibi quantitas sit tanta quanta concoqui potest, propterea 1. ad Glaucum 3. dicit loquens de uino, mensuram

capi

capi ex uirtute, & licet ibi proponat ætatem, consuetudinem, & alia, hæc tamen proponit, nō ut Indicantia, sed ut signa Indicantis, hoc est, ut signa actionis uirtutis.

MODVS.

QVo spectat ad Modum indicatur à passione uirtutis, si difficulter patiatur uirtus, licet uti cibo in forma solida, si contra in forma liquida, iuxta illud: facilius esse impleri potu quam cibo.

QVANDO.

QVo autem ad quando agendum indicatur à præsentia uehementiori uirtutis sicuti diximus de morbo, & causa, unde Gal. 2. M. 5. dicit tempus nutriendi in 2. M. 5. febribus unam accessionem habentibus, esse illud quo facilius uirtus morbum tolerat, est autem dicit Galenus, quo prius in sanitate uti sunt assueti, hæc uerba sunt ita intelligenda, supponere oportet uirtutem semper esse præsentem, & morbificam, prohibentē nutrimentum semper esse præsentem, cum igitur semper sit præsentia uirtutis indicantis, & semper sit præsentia materiæ morbificæ prohibentis, propterea quod proponitur febris continens, quę unicam habet accessionem, hinc sequitur esse exhibendum cibum, quando utroq; præsente, magis possit uirtus ad indicandum, quā materia ad prohibendum. Quodnam est hoc tempus, est tempus quo uirtus facilius sustinet

morbum,

morbum, ut uerbi gratia in tempore æstatis hora frigidiori diei. Præterea & hora consuetudinis cibi, ut huiusmodi consuetudo sit signum, quod nobis manifestat eo tempore, ea hora uirtutis potentiam magis posse, quam possit potentia materiæ morbificæ.

VBI.

TAndem quo ad vbi agendum desumitur à subsistentia virtutis, uirtus autem licet vbique subsistentiam habet, nihilominus vt relationem habet ad cibum ac nutrimentum, subsistentiam habet in vētriculo, & propterea alimēti materia per os exhibetur, Sed ut iuniores ex toto quiescant, libet explicare, licet multa ac ferme innumera dicit Galen.

DE PARTE.

DE parte, nihilominus fieri nequaquam posse, vt plura sint Indicantia, quā tria à nobis proposita, dicit igitur Galen. in arte Medicinali cap. 94. Inuētionem præsidiorum ad sanitatem spectātium, partim sumi ab affectu, plurimum autem à parte, quibus uerbis significare videtur indicationem magis esse desumendam à parte quam ab affectu, quod tamen substantia est, quia Indicatio, quæ spectat ad sanationem, Indicatio curatiua sumitur ab affectu, ita igitur hunc locum intelligatis, Gal. ijs uerbis scilicet insinuare quid agendum genericum, quod sumitur quod indicatur ab essentia generica, quæ essentia ge-

Arte medicin. 94

nerica

nerica potest cognosci, citra opem partis, quid agendum autem specificum & vsum seu rectam administrationem dicendum indicari, ab eo indicato, siue sit essentia specifica siue id quod consequitur essentiam, indicari inquam ab eo quod cognoscitur beneficio partis affectæ, quòd ut pars sit signum & essentię specificę & illius quod cōsequitur essentiam, quare recte dicit Galenus inuentionem præsidiorum partim, id est; minori ex parte sumi ab affectu, sumi ab essentia generica, plurimū autem beneficio partis, quia beneficio partis venamur quid agendum specificum, beneficio partis consequimur rectam administrationem, non ut pars est indicās sed ut signum. Gal. 13. M. 19. dicit si quis indicationem sumptam à parte adimat, tollat, Medicinam sex diebus addiscet, & recte ita est locutus, propterea, quod recte cognoscere quid in parte est cognoscendum, est admodum arduum & difficile. Vnde iuniores duo intelligere debēt, alterum quid accipere oportet per partem, Secundum quomodo pars, qua ratione pars huic Methodo medendi conferat. 13. *M.* 19

Quid intelligatur per partem.

QVo ad primum, oportet intelligere per partem, partem uiuentem in corpore ægrotante, siue ægritudo sit secundum totum siue sit secundum partem, pars

autem hunc in modum accepta est vel similaris, uel dissimilaris, ut necessarium sit simul quæ communia sunt partibus similaribus, & dissimilaribus, est ita, namque nos cognoscemus & communia & propria. Cómunia quidem sunt ut pars & similaris & dissimilaris conueniunt ut uiuunt & penes uitam, & penes uitæ subiectum, Nam pars & similaris & dissimilaris & viuit & animę est subiectum vt pars viuit, prædita est actione, prædita est vsu, patitur etiam & proinde pars sentit, & ob id cadauer excluditur, ut autem huiusmodi partes sunt animæ subiectum, sunt substantia ut communia, causa uitæ sint actio partium usus partium sensus, quid autem hæc sint non expectetis in præsentia, fortasse alio anno explicabimus.

Causa subiecti constituere oportet raritatem, densitatem partiũ & ideo Gal. 13. M. 10.
13. *M*. 10 dicit communia similariũ & dissimilarium, capi à substãtia & actione per quam & usum & sensum etiam insinuat. Vnde respiciens idem Gal. 10. M. vlt. ad substantiam similarem dicit substantiam esse vel fibrosam, uel membranosam uel carnosam, respiciens autem ad substantiam dissimilarem 6. Meth. 4. dicit dum sumitur Indicatio à substantia partis, oportet scire omentum, verbi gratia esse compositum inquit Galenus ex membrana

tenui, ex arteria, ex venis quæ vasa sunt tota ex maximis, quare in similaribus & dissimilaribus perpendenda est substantia, quæ uaria est pro varia actione, pro vario usu, pro uario sensu, & pro raritate & densitate. Die Lunę proponemus, quæ sunt propria, & dissimilariter & similariter.

LECTIO XXXI.

De Proprietatibus partium.

QVæ sint communia partibus, & similaribus, & dissimilaribus diximus. Quoad propria, & in primis quo ad partes similares est proprietas, propterea temperatura, propria autem dissimilarium est proprietas, & compio, ubi per proprietatem oportet intelligere proprietatem non partis similaris, sed proprietatem compis, ut propterea proprietas partium similarium sit satis diuersa à proprietate dissimilarium, quemadmodum Deo fauente alias explicabimus, iuniores in præsentia hoc unicũ memoriæ mandent, proprietatem partium similarium prodire ex determinata mixtione substãtiarum electorum, Proprietatem autem dissimilarium prodire procedere ex determinata compose partium similarium, Vt uerbi gratia cum alia sit com-

pio in manu, alia in pede, hinc alia est proprietas manus, alia proprietas pedis, & sic de reliquis dissimilaribus partibus. Constitutum sit seu propria, uel peculiaria partiũ similarium esse proprietatem, quæ natura quandoq; uocatur, & temperamentum. Propria autem dissimilarium esse proprietatem composis, & ipsam compos, quemadmodum communia sunt substantia, actio, usus, sensus, raritas, &

4. M. vl. densitas, vnde Gal. 4. M. vlt. inquit partem affectam indicare per naturam hoc est proprietatem similarium indicare etiam per temperaturam, dicit Galenus propterea per figurã, per situm, inquit Galenus, & hinc per compositionem. Præterea dicit Galenus partem indicare per substantiam, hoc est per naturam, ex qua dissimilaris pars componitur. Pręterea per functionem ait Galenus, per quam etiam insinuat usum, actio enim refertur in usum, sed de hoc etiam alias. Indicare etiam partẽ, inquit Galenus per sensum, eo in loco raritatem, & densitatem nõ proponit, quia non erat necessarium, ut unico in loco omnia proponerentur, & propterea per substantiam potuit insinuare raritatem, & densitatem. Hæc de primo, quod erat cognoscere, quid per partẽ intelligere oportet.

Quomodo pars inseruit Methodo medendi.

QVo ad secundum, & vltimum, quod erat explicare, quomodo pars, & per propria, & per cōmunia Methodo medendi inseruiat famuletur, pro huius intelligentia oportet aliquas Gal. authoritates proponere, ut ueritas pateat, & cōstet indicantia esse tantum tria, hoc est Morbum, Causam morbificam, & uirtutem. Primum igitur dicit Gal. 3. M. vlt. in uulneribus partem Indicare, & ut similarem, & ut dissimilarem, addit Galenus partem, ut similarem indicare, ut prius dictum est. Dicit autem partem siccam Indicare remedium siccans, quare pars similaris habet rationem Indicantis, & cū indicet pars sicca siccū, indicat simile, quare pars sicca est indicans uitale, est autē Indicans uitale, ut id quod indicat est uirtus, quia nihil potest esse indicans uitale nisi uirtus partis, cuius uirtutis essentia est temperatura sicca, quare non cogimur propterea Indicantia multiplicare. Si verò capiatur pars, ut dissimilaris, accipitur inquit Galenus dum pars sectionem secundū totam cauitatem, uel permittit, uel prohibet, quid est quod permittit, quid est quod prohibet, hoc est intelligendum, quia in hac Methodo, quia dantur tria tantum Indicantia, sunt

autem morbus,causa,& uirtus, ita dantur tria tantum permittentia. Tria prohibentia, quæ nihil aliud sunt quam morbus, causa, & uirtus,quare in præsentia id quod permittit,permittit sectionem secũdum cauitatem totam, id etiam quod prohibet est uirtus, cuius uirtutis signum est materia ex qua: Vnde materia ex qua non est indicans, non permittit, nõ prohibet,sed signum uirtutis. A causa ex qua componitur pars dissimilaris est signum uirtutis, uel prohibentis, uel permittentis, Verbi gratia si pars dissimilaris componatur ex neruis ex arterijs ex substantia arteriosa, neruosa, hæc substantia est signum uirtutis prohibentis.Si autem pars componatur ex substantia carnosa, hęc substantia est signum uirtutis permittentis sectionem secundum totam cauitatem, quare nulla est difficultas.

De sensu partis.

4.M.vl. PRopterea Gal.4.M.vlt. dicit, quæ acuti sensus sunt partes citra dolorem sunt sanandæ, quæ autem contra inquit Galenus, si affectus suadet indicat ualentiora, pars ualentiora recipit. Hunc locum ita intelligatis, ut licet Galenus consideret in parte sensum, ut est uel acutus, uel obtusus, non credatis tamẽ sensum indicare, hoc in loco in hac authori-

tate,

tate, nam quod indicat est affectus, & affectus præter naturam, qui affectus si ut uehemens indicat ualidum remedium, sensus acutus est signum uirtutis prohibentis, sensus autem obtusus est signum uirtutis permittentis; unde admoneantur iuniores, licet hoc loco sensus acutus non indicat, sed sit signum uirtutis prohibentis, attamen sensus acutus quandoque potest esse Indicans, & sensus exquisitus, ut est Indicans sui ablationem, cuius remedij materia quandoque est opium.

Sed tunc sensus acutus, ut indicat non custodiam, sed ablationem est symptoma, & symptoma, quod habet rationem causæ morbificæ, & ob id est Indicans præseruatorium, ut nunquam cogamur ultra tria multiplicare Indicantia. Præterea dicit Gal. 4. M. vlt. opus esse principalium partium robur seruare, non principalibus tuto adhiberi posse mitigatoria, relaxantia, quibus uerbis proponit partis dignitatem, præstantiam, quæ partis præstantia patet per actionem, & usum, ut quo actiones, & usus sunt præstantiores, eo etiam pars sit præstantior. Oppositum est statuendum de parte ignobili, unde hoc loco iuniores colligant partis dignitatem non esse quid aliud, quid diuersum à nobis propositum. Quia ut intellexistis, per dignitatē intelligimus actionem, & usum, significat autem Galenus quo

pars est dignior magis etiam opus esse, ut calor seruetur, calor seruatur ab astringentibus, unientibus, dissoluitur ui laxantium. Prętereą hoc loco proponit Galenus uirtutem Indicantem prohibentem, & permittentem. Declaro, proponit uirtutem indicantem, ut pars dignitate donata per calidum innatum, quod est uirtutis essentia indicat uniẽs, proponitur uirtus prohibens dum uoluit, licet affectus præter naturam indicet relaxantia, ab his tamen esse desistendum propter uirtutem, propter partis dignitatem. Virtus denique proponit permittens, dũ Galenus inquit, si pars sit ignobilis non prohiberi laxantia, sed permitti.

Nota. Notetur autem dum uirtus sit illa, quæ prohibeat, quę permittat, hoc in loco uirtutem prohibentem significari tanquam à signo, à nobilitate, à præstantia partis, unde actio non indicat nec usus, & ob id actio præstans usus, non indicat, & proinde partis dignitas non indicat iuuans, sed est signum uirtutis prohibentis, quemadmodum partis ignobilitas est signum uirtutis permittentis. Præterea Gal. 4.

4.M.vl. M.vlt. proponit Indicationes, quæ sequuntur à positione, à figura partis, quare à proprietate dissimilariũ, ut uerbi gratia, dicit Galenus, cui ulcus est in uentriculo medicamenta bibenda dabis, cui autem exulcerata est gula, medicamenta nec simul, nec tota simul exhibenda.

benda, sed paulatim, & assidue. Siquidem dicit Galenus, quando gula est uulnere affecta ex transitu, non ex continentia, non ex adhærentia medicamentorum remouetur ulcus, quemadmodum obseruamus, dicit Galenus in ulcere uentriculi, unde ibidem etiam addit quoad ulcera gulę medicamentũ crassius, & magis lentum à positu, & figura partis indicare, hæc sunt Galeni uerba, quæ nisi explicarentur, fortasse iuniores titubare possent. Ego igitur dicerem, & primum quo ad ulcus uentriculi indicatum hoc loco propositum à Galeno, unde hoc obiter dicatur, ut sciatis studere, ubi uidebitis Galeni authoritates in primis considerate, de quo ibi fiat sermo, hoc est, an de Indicante, an de Indicato, si de Indicato an sit quid agendum, an recta administratio, quia postea uos ueritatē indagabitis procedentes ab Indicato ad Indicans. Galenus hoc loco, quo ad ulcus uentriculi proponit indicatum hoc est, medicamentum siccans, ut in potu exhibetur, & ut non simul totum bibatur, sed sensim. Quare his uerbis uidetur proponere indicatum, quod pertinet ad modum, ad rectam administrationem, & ad Vbi. Ad modum, quia proponit medicamentum quod cōfestim simul totum debet assumi, ecce proponit modum, proponit ubi agendum, dum proponit medicamentum in ulcere uentriculi.

Nota circa auth. Gal.

per-

per os exhibendum, hoc eſt, uerſari circa ubi agendum, quoad modũ indicatur à paſſione, ut ſequitur eſſentia indicantis quid agẽdum, hoc in loco indicans eſt paſſio ulceris, cuius ulceris ea eſt paſſio, loquor de ulcere uentriculi, ut patiatur à medicamento non ſenſim, ſed confeſtim aſſumpto, ecce paſſio eſt, quæ indicat modum, quare cum uẽtriculus habet formam, & figuram, ut medicamentum non fluat, ſed hereat, huiuſmodi figura, huiuſmodi forma nõ eſt indicans, ſicuti iſti credunt, paſſionis, ulceris, ut cedit medicamento cõfeſtim aſſumpto. Quo ad ubi agendum indicatur à ſubſiſtentia ulceris, unde hęc ſubſiſtentia illa eſt, quæ indicat ubi agendũ, quia indicat medicamentum eſſe per os exhibendum, ſubſiſtentiæ autẽ ſignum eſt ſitus uentriculi, quare ſitus non indicat, ſed eſt ſignum indicantis. Quo ad ulcus gulę à Galeno propoſitum, Galenus duplex Indicatum proponit, in primis medicamentũ, ut nec ſemel nec totum ſimul, ſed paulatim eſt aſſumendum. Reliquum Indicatum eſt dum proponit medicamentum craſſius, & magis lentum. Dico ego utrunque peccatum pertinere ad modum agendi, & profecto non modo difficile eſt, ſed prorſus impoſſibile citra hanc Methodum intelligere Galenum, ut pace ſua dixerim, Galenus ſit reprehendẽdus, cum ita obſcurus eſſe uoluerit.

Vtrumq;

Vtrumque igitur pertinet ad modum agendi; quare utrumque indicatur à paſſione ulceris gulæ, paſſio eſt, ut non cedat medicamentis, ſi illico fluant, præterlabantur, ut neceſſarium ſit ut hęreant, quare oportet, ut paulatim aſſumatur medicamentum, ſenſim, & ſenſim, ut ſit lentum, conficiatur, ut ſit lentum, licet omnia indicentur à paſſione, cuius paſſionis ſignum eſt poſitio, & figura gulæ, quis eſt ille tam fatuus, qui dicat à ſitu gulæ, à figura gulę indicari medicamentũ lentum, craſſum, quare hęc poſitio hęc figura, ſunt ſignum paſſionis indicantis, & admoneantur hoc loco iuniores, quemadmodum inconuenit, ut unicũ indicans duo indicet, quia unum nõ niſi unũ indicat, ita conuenit, nõ eſt abſurdum, ut duo tanquam ſigna concurrant ad unum indicandum, hoc eſt, & figura, & ſitus gulæ, ad unicã indicandam paſſionem, uideatis Galenum ſeptimo Meth. vlt. 7. M. vl.

LECTIO XXXII.

GAlenus quarto Meth. vlt. dicit internas partes indicare, ut eligantur ſimilaria, 4. M. vl. ſecus autem ſtatuendum eſſe de partibus externis, ut uerbi gratia, in ulcere, in quo egemus exſiccantibus, ſi ulcus fuerit in parte interna, cum Galeno loco citato pars interna

indicat

indicat,ut utamur balaustio,hypocystide,quę familiaria sunt,nō autem nihili, non ære usto, quia hæc non sunt familiaria,ut his non familiaribus cum Galeno uti licet in ulcere partiū externarum, ecce igitur quemadmodū à parte sumitur indicatio, ita hoc loco Galenus est intelligendus, ut neque proponat quid agendum, neque rectam administrationem, quare hic sermo est extra Methodum. Proponit autem materias remediorum siccantium, ut remedia siccantia indicantur ab ulcere, quare cum hic sermo pertineat ad doctrinā de Medicamentis, non autē ad Methodum medendi, hæc authoritas nos non cogit, ut multiplicemus indicantia, eodem modo intelligēdus
4.M.6. est Gal.4.M.6. ubi in ulcere gulæ cum medicamentis ulceris, idest, siccantibus, immiscet Diagagantum,& Gummi, sumpta indicatione à situ,& forma gulę, hoc in loco respicit ad doctrinam medicamentorum,quare extra doctrinam Methodi medendi. Pręterea Gal.4. Meth. vlt. uoluit Gargarismis esse utendum in malis faucium,quibus uerbis proponit Galenus modum agendi, hoc est, medicamentū in forma Gargarismi, qui modus indicatur à passione materiæ Indicantis, cuius passionis signum est gulæ situs, quare situs non indicat modum agendi,sed est signum passionis.Pręterea eodem 4.M.vlt. in ulcere trageæ iubet,
4.M.vl.

ut dum exhibetur medicamentum, decubitus sit supinus, nam dicit Galenus, influit paulatim medicamentum, quibus uerbis proponit modum agendi, qui indicatur à passione ulceris, cuius passionis signum est situs, est forma tracheæ. Vnde hoc loco obiter admoneãtur iuniores, quia extra methodum est, in destillatione materiæ à capite ad pulmones decubitum supinum esse improbandum, probatur, ut homo sedeat, uel decumbat capite eleuato, nam si supinus iaceat, materia prõptius fluit à capite ad pulmones, sed hoc obiter dictum sit. Præterea Gal. 5. M. 5. quæ indicatio communiter iam dicta est, sed propterea indicat ueluti actuarium, ueluti dum uarijs instrumentis utimur, & recte hoc notetis pro partis proprietate, ut uerbi gratia, gratia intestinorum per clysteres infundimus medicamentum ad uesicam per fistulam in directum perforatam, ex quibus quis posset colligere à proprietate partium hæc instrumenta indicari, quomodo intelligendus Galenus, dicerem ego Galenum, ut patet, proponere clysteres, proponere fistulas, quare Galenus non proponit quid agendum, sed nec usum, quia clyster, quia syringa nõ possunt pertinere ad rectam administrationem materierum, nisi per additamentum quoddam, & propterea dicit Gal. esse quoddam ueluti additamentum, quiddã

Nota pro destillatione.

actuarium, ut refertur ad modum agendi, ut
sit modi agendi ueluti additamentum, & ex
hoc uos cognoscetis in quanam medicinę par
te collocare licet clysteres, syringas, &c. diri-
gantur ad modum, sunt ueluti additamentũ,
actuarium, ita loquitur Galenus, quare opor-
tet, ut hoc actuarium, ut refertur ad modum
indicetur à passione, indicátis à passione mor-
bi, ut indicans cedit medicamento, si tali in-
strumẽto immitatur, idest, uel clystere, uel sy-
ringa, ecce hoc actuarium, hic modus indica-
tur à passione, cuius passionis signum est pro-
prietas partis à Galeno proposita. Quę est hęc
proprietas? non est proprietas temperamenti
partis similaris, est proprietas partis instrumẽ
talis, intestinorum, uesicæ, quæ est proprietas
compositionis, quare uelint nolint aliter asse-
rentes, datur etiam proprietas compositionis,
quę prodit ex determinata compositione, hoc
est, ex determinata conformatione, situ deter
minato. Pręterea fuit Galeni sentẽtia 7.M.vlt.
7.M.vl. quod sanè caput intellectu difficillimum est,
ut citra methodi intelligentiam non sit possi-
bile intelligere Galenum, dicit Galenus, pri-
ma indicatio sumitur à laborantis partis tem-
perie, nam dicit Galenus, mensuram remedij
præscribit partis natura, temperatura. Secun-
da indicatio, ait Galenus, sumitur à parte, ut
uel eius actio est communis omnibus corpo

ris

ris partibus, uel communis uirtus subministratur. Tertia indicatio, inquit Galenus, sumitur à figura partis, quare à positu partis. Sed præter hæc, inquit Galenus, sentiendi uis in parte spectanda, quibus uerbis prima facie quis est, qui non credat indicationem sumi à parte, ut pars in Methodo medendi videtur esse summum Indicans, cum tamen nihil prorsus indicet præter morbum, causam, & uirtutem. Notate hoc loco Galenum uersari circa curā intemperiei uentriculi cum materia, ut propterea indicetur duplex remedium; hoc est, ratione intemperiei alterans, ratione materiæ uacuans. His ergo suppositis tanquam uerissimis, quo ad temperiem si pars calida laborat morbo frigido, cum Galeno loco citato liberalius, & diutius calefieri postulat, sunt uerba Galeni, cōtra si pars calida calido morbo laboret, refrigerantibus eget remissis, & breui tēpore, quibus uerbis Galenus proponit quid agendum, & quādo agendum, uolo ut exacte Galenum intelligatis, quid agendum dū proponitur à parte calida morbo frigido affecta indicari magis calidum hoc est quid agendū, à calida autem affecta morbo calido, indicari minus calidum. Ratio est, quia in parte calida, ut morbo frigido affecta est maior recessus, & ideo indicatur remedium magis alterans, cuius intensionis, cuius recessus à natu-

rali

rali ſtatui, cuius gradus ſignum eſt tempera-tura partis, quare id quod indicat eſt morbus partis, temperatura autem eſt ſignum gradus morbi, proponit quando agendum, dum proponit in parte calida, ſi morbo frigido afficiatur, longiori tempore eſſe utendum medicamento, longiori tempore igitur proponit quando agendum, quod ſumitur à pręſentia morbi frigidi, qui diutius durat, perſeuerat, dum eſt maior receſſus, quam durationem quam perſeuerantiam, nobis ſignificat temperatura, ut temperatura non indicet quando agendum; ſed ſit ſignum præſentiæ Indicantis quando agendum, quo uero ad partem, ut eſt præſtás, dicit Galenus loco citato ſi intemperies fuerit ſine materia, pars nihil confert nihil indicat, nam pars dicit Galenus, & præſtans, & ignobilis alteranda eſt, ut morbus requirit, in intemperie autem cum materia ratione eius indicatur uacuans, ſi pars ſit ignobilis dicit Galenus uacuare oportet, ut affectus indicat; ſed tunc etiam ſis uirtuti attentus. Si autem pars dicit Galenus ſit præſtans, perpendenda uirtus, ne magna uacuatione diſſoluatur. Ego libentiſſimè intelligerem, quomodo eſt intelligenda hæc authoritas, quomodo poſſit conciliari Galenum cum Auicenna.

DISCORDIA INTER AVICENNAM, ET GALENVM.

NAmque Auicenna in quarto primi expreſsè aſſerit ſiue alterare, ſiue uacuare uolueris, opus eſſe reſpicere ad partem, non modo ſi uacuare uerumetiam ſi alterare dicit Auicenna. Galenus autem, ut audiuiſtis ait ſi alterare uolueris ſiue pars ſit nobilis ſiue ignobilis non perpendenda eſt, tantum alteranda quantum indicat morbus. Spero quod facile hanc concordiam intelligetis, & forte in præſentia intelligitis cum expoſitionem audiueritis, Auicenna in quarto primi, breuiter tamẽ dico Galenum hoc loco proponere quantum agendum, ideſt, an licet uti alterante, uel uacuante in magna doſi, non proponit quid agendum, ſed quantum agendum, & hoc perſuadere licet, nam quo ad medicamentum uacuans dicit Galenus loco citato partem nõ ſemper uacuandam magna ſemel uacuatione, hoc eſt medicamento in ſumma doſi, ut confertim fiat euacuatio totius materiæ. Propterea ſi uerbi gratia redundat bilis ad librã, libra bilis tota eſt euacuanda, ſiue pars ſit nobilis ſiue ignobilis. Differentia eſt, quia in parte nobili non confertim licet euacuare nõ licet medicamẽtum exhibere in ſumma doſi, Concord.

Idem patet esse dicendum de alterante, ut in manifestis non sit tempus conterendum, patet igitur Galenum uersari circa quantum agendum, hoc supposito quo ad alterans, dicit Galenus à parte nullam sumi indicationem merito alterationis, & ratio, si uerbi gratia pars si nobilis, siue ignobilis permittit alterans ualidum, uehemens permittit summam dosin. Quod non est dicendum si uersemur circa quid agendum. & hoc notetis, namque alterans ualidum indicatur à morbo uehementi, at non permittitur à parte præstante, quod præstans non permittit ualidiora alterantia. Et ob id ad hoc respiciens Auicenna, hoc est non ad quantum agendum, ad quod respexit Galenus, sed ad quid agendum, dicit siue uacuare, siue alterare uolueris oportet respicere ad uirtutem. Ideò facilè tollitur contradictio, quia Auicenna respicit quid agendum, Galenus ad quantum. Igitur quo ad quantum agendum, si actio indicantis sit ualida permittitur à parte, quæcunque sit pars permittit summam dosin, sermo est de medicamento alterante. Quo ad uacuans, si pars sit ignobilis dicit Galenus audacter uacuans, ut affectus, ut materia indicat, ut indicat actio materiæ, quia partis ignobilitas significat uirtutem permittentem, & addit Galenus ratione partis permittentis,

attamen

attamen etiam in parte ignobili uirtuti ſis attentus, ita eſt intelligendus Galenus, ut ſi uerbi gratia peccat libra puris, tota hæc libra euacuanda, & pars ignobilis permittit, dum uerò addit uirtuti ſis attentus, per uirtutem intelligit, quæ quandoque poteſt prohibere. Quomodo prohibet uirtus in parte ignobili? prohibet uirtus in parte ignobili, utpotè uirtus partis ignobilis imbecilli aſcititię reddita, namque uirtus natiua permittit. *Nota.*

Do exemplum propter iuniores, uerbi gratia abſceſſus ſit in brachio, quare eſt in parte ignobili. Sed oportet reſpicere ad uirtutem, in primis ſi brachium ſit emaciatum, ecce eſt imbecillitas aſcititia. Propterea oportet dum malum eſt in parte ignobili, & inſtitutum eſt euacuare, perpendere cum Galeno uirtutem, hoc eſt uirtutem totius, quæ uirtus poteſt prohibere, ut uerbi gratia ſi pars affecta ſit ignobilis uirtus, uel ratione ætatis, uel ratione morbi, uel ratione uigiliarum, & ſimilium, uirtus inquam poteſt prohibere, pars autem, ut præſtans prohibet ſummam doſin uacuantis medicamenti, ut pars, ut præſtans ſit ſignum uirtutis, & permittentis, & prohibentis, per actionem, & uſum, propterea, quod uirtus pars ignobilis eſt ſignum uirtutis permittentis, pars præſtans eſt ſignum uirtutis prohibentis.

In sequenti explicabimus Galenum, quo ad Indicationes, quas sumit à figura, &c.

LECTIO XXXIII.

Quomodo intelligendus septimo Methodi vltimo, quantum ad Indicationem, quæ sumitur à partis temperatura, & præstantia diximus, quantum ad indicationem, quæ sumitur à natura partis, inquit Galenus ab hac indicari modum uacuationis, ut uentriculus uomitu, & deiectione inaniatur, idest intestina deiectione tantum, sicut, & iecoris caua. Renes autem subdit, & uesica, & iecoris gibba, si copiosus succus uitiosus fuerit, per deiectiones; si non copiosus, per urinas. Cerebrum autem, inquit Galenus, per palatum, aures, & nares. Pectus, & pulmones per tracheam: pro quorum uerborum intelligentia duo sunt explicanda. Primum quid per hæc uerba intelligat Galenus. Secundum quomodo partis figura concurrat ad indicandum.

Quantum ad primum proponit quid agendum, idest remedium uacuans, quod Galenus uocat modum agendi uacuandi, est tamen, quid agendum, non quomodo agendum, appellat modum uacuandi, idest uacuans determinatum, idest, uomitorium, deiectorium, diureticum,

diureticum, quæ ſunt remedia uacuantia, ſed determinata, quorum remediorum plures reperiuntur materiæ.

Quo verò ad ſecundum, quod erat explicare quomodo figura partis conferat ad inuenienda hæc remedia, uacuantia determinata. Sciatis remedium uacuans determinatum, de quo loquitur Galenus indicari à materia morbifica, ut lædit partem determinatam cum tali figura, ut figura non ſit indicás, quia impoſſibile eſt, ſed ſignum determinatæ læſionis materiæ.

DVBITATIO.

SEd notandum propter iuniores, & præſertim, quia hęc Galeni uerba ſunt ſatis difficilia. Notandum inquam ex Galeno loco citato, renes, ueſicam, iecinoris gibbam indicare deiectorium, & diureticum remediũ, indicatur autem à Galeno deiectorium ſi ſuccus uitioſus ſit copioſus, ſi uerò ſit mediocris indicatur diureticum. Satis difficile eſt intelligere quomodo his partibus læſis cauſa ſucci copioſi liceat uti deiectorio, cauſa ſucci non copioſi diuretico.

SOLVTIO.

DIcerem ego vtrunque, ideſt, deiectoriũ, & diureticum indicari à materia, ut lędit partem determinatam, at diureticum prohiberi à loci anguſtia, ut locus latior, utpotè inteſtina permittant, quia ſunt ductus ampliores, permittunt deiectorium, tranſitum ſucci uitioſi, etiam copioſi, ut materiæ copia non ſit indicans, quia copioſa materia indicat minuens, non deiectorium, aut diureticum, quare hoc loco materia copioſa non eſt indicans, ſed ſignum ductus permittentis, & prohibentis, ut ſi ductus ſit anguſtus, copia ſignificet hunc ductum prohibere tranſitum copioſæ materiæ. Si uerò ductus ſit amplior eſt ſignum materiæ copioſæ ductus permittentis, ex anatomę autem habetis, qui ductus ampli ſint, & qui anguſti, ſed qui prohibeant, qui permittant habetis à copia materiæ.

DVBITATIO.

SEd hoc loco propter iuniores dubitare liceat, ut Methodum aſſequantur. Dubitatio eſt, ſi diureticum, & deiectorium indicatur à materia, ut lædit partem determinatam, ergo duo remedia duo indicata ab uno

indicabuntur, quod eſt contra fundamenta Methodi, fateor hanc dubitationem eſſe arduam.

SOLVTIO.

EGo tamen dicerem remedium diureticũ indicari à materia, ut lædit corpus ſecundum partes ultra ſima iecoris, cum autẽ prohibetur, prohibetur à uiarum anguſtia, quam anguſtiam ſignificat copioſa materia.

Deiectorium autem indicatur à materia, ut quieſcit, quare indicat commouens, quia peccatum eſt in quiete, indicat autem commouens non impellens, ſed attrahens, cuius materia in ſucco, uerbi gratia bilioſo eſt Rhabarbarum. Rhabarbarum eſt materia auxilij indicati à materia quieſcente, ultra ſima iecoris, ut quamuis ſit copioſa, non prohibeatur tamen deiectorium, quia ductus ſunt latiores. Galenus præterea ſeptimo Meth. vltimo capiens indicationes à ſitu partis determinatæ, à ſitu partis capi indicationem, tum ad ſolidorum temperamentum, tum ad ſuccorum uitium. 7. M. vl.

Declaro, & primo quantum ad ſolidorum temperamentum, & proinde quantum ad remedium alterans, dicebat Galenus, quæ partes in ſuperficie laborant intemperie egent

medicamentis, quæ intemperies indicat. Si autem pus fuerit non in superficie propter interuallum, ualentiora quam indicet temperies administranda, ita intelligatis Galenum, ut hoc loco nec usum, nec quid agendum proponat, nam si uerbi gratia in parte profunda fuerit morbus frigidus, ut duo, indicat calidũ, ut duo, nam si ultra calefaciamus tolletur morbus frigidus, sed introducetur morbus calidus, quare hæc Galeni dicta pertinent ad doctrinam de medicamentis, sunt uerba extra Methodum medendi, pertinent igitur ad doctrinam de medicamentis, ope cuius doctrinæ medicus scit eligere materiam, quę ultra secundum gradum calefacit, ratione scilicet interualli, quia scilicet cognoscet ratione interualli, materiam medicinalem calidam in secundo non per se morbum superare.

Quo uerò attinet ad uacuans, inquit Galenus in euacuatione situs indicat, dum docet societatem huius partis cum alijs partibus, hac ratione, inquit Galenus situs indicat. Namque ut cauo iecoris subijcitur uentriculus, & ieiunum intestinum, & ieiuno tenue, & huic subijciuntur crassa intestina, ita inquit Gal. oportet iecur per uomitum, & aluum purgare, quamuis inquit Galen. euacuatio sit per aluum commodior, nam intestina melius perferunt excrementa, at quomodo intelligẽdus

Gal.

Gal. quomodo ſitus indicat uomitorium, & deiectorium? quomodo unum duo indicat, certè difficillimum hoc eſt, Galenus his uerbis uerſatur in Methodo medendi, proponit quid agendum in uirtute Indicantis, & permittentis, in uirtute Indicantis, dum proponit deiectorium, & uomitorium, quæ indicantur à materia morbifica, ut quæ lædit iecur non ſimpliciter, ſed iecur, ut habet talem poſitionem, ut iecinoris cauo ſubijcitur uentriculus, ut lædit partem determinatam per talem ſitum, ut ſitus ſit ſignum determinatæ læſionis materiæ, ut uomitorium indicatum à materia, ut lædit iecur non ſimpliciter, ſed iecur, ut habet talem poſitionem, ut iecoris cauo ſubijcitur uentriculus.

Deiectorium autem, quod eſt aliud indicatum à uomitorio, Indicatur à materia morbifica, ut lædit iecur talem habet poſitionē, ut ſocietatem habet cum inteſtinis non cum uentriculo, quare ſunt duo indicantia, & meritò duo indicata, uomitorium, & deiectorium, quę duo indicata, tanquam à ſigno ſignificantur à ſitu, à proprietate iecoris.

Quo verò ad permittentia, hæc proponit Galenus, dum inquit commodius fieri euacuationem per aluum, quia uirtus inteſtinorum facilius permittit uitioſorum excrementorum tranſitum, quàm uirtus uentriculi.

Tandem

9.M.vl. Tandem Gal.9.M.vlt. loquens de ſenſu, di- *De ſenſu* cit non eſſe perpendendam indicationem, *ꝑmittẽtc* quæ capitur à ſenſu, ut pars obtuſa ſenſus *vel prohi* medicamentum etiam mordens admittat. *bentc.* Si autem fuerit acuti ſenſus uires præ nimio dolore diſſipantur. Facile eſt intelligere Galen. uoluiſſe ſignificare ſenſum hebetem eſſe ſignum uirtutis permittentis etiam uehemens remedium, ſummam etiam doſin, cõtra inſinuauit, ſenſum acutum eſſe ſignum uirtutis prohibentis, & ualidius medicamentum, & ſummam doſin.

Pręterea addebat Gal.13.M.7.(quia Galeni dicta facilia ego nolo proponere) inquit igitur ibi Gal. Indicationes ſumi à parte, & ſimilari, & diſſimilari, quæ indicatio capitur à ſimilaribus, ut Gal. ait, modum alterandi, determinat, quæ autem capitur à diſſimilari determinat locum per quem euacuare oportet, determinat uacuationem, rationem, & inquit Gal. in uſu medicamentorum ſimilis ſpecie, pluris minoriſque modum, ſunt hæc difficillima. Quantum attinet ad partem, ut eſt ſimilaris facile eſt Galenum intelligere, ſiquidem proponit quid agendum ſpecificum, alterum in tali gradu, quod indicans poteſt eſſe curatorium, poteſt eſſe uitale. Si curatorium indicatur à morbi gradu, cuius ſignum eſt temperatura.

Si

Si uerò capiatur remedium alterans, ut uitale indicatur à uirtute, cuius essentia est partis temperatura, ut indicatio uitalis desumpta à parte similari, sit desumpta à uirtute, cuius essentia est temperatura, ut nunquam cogamur indicantia multiplicare ultra tria.

Quo uerò ad partem dissimilarem Gal. proponit tria: in primis locum, per quem euacuare oportet. Secundò euacuationis rationem. Tertium proponit in usu medicamentorum similis specie pluris minorisque modum. Hæc tria declaro. Quantum ad primum proponit quid agendum determinatum, ut uomitorium, quod indicatur à materia, ut lædit partem ita compositam, conformatam, ut compositio non sit indicans, sed sit signum materiæ indicantis. Et si quis per hæc uerba à Galeno proposita intelligere uelit non quid agendum, sed ubi agendū, hoc etiam condonemus, & dicamus hoc ubi agendum indicari à materiæ subsistentia, cuius signum est situs compositus partis, ut uerbi gratia, si pus est in inguine, inguini materia remedij est applicanda: quantum pertinet ad secundum Galenus, inquit partem instrumentalem determinare uacuandi rationem. Vt hæc uerba intelligatis, oportet duo sciatis. Primum quid uoluerit per uacuationis rationem. II. quomodo pars instrumen-

ſtrumentalis indicet uacuationis rationem. Quantum attinet ad primum proponit Gal. quid agendum, ideſt, uacuans ſpecificum, ut reſpicit ſanguinem in parte inflammata retentum; ut ego ignorem, quomodo poſſibile ſit uerba facere de inflammationibus citra hanc Methodum. Quare per uacuationis rationem intelligit remedium uacuans, deriuans, reprimens. Vacuans per partem inflammatam, per meatus ſiue ſenſibiles, ſiue inſenſibiles, & ob id uos cognoſcitis quid intelligat per uacuationis rationem.

Quo ad ſecundum Galenus ſeipſum explicat, in capite nono eiuſdem libri ait Indicationes inflammationum immutare curationem, proponit Indicationes, quæ ſumuntur à partis natura, à partis ſitu, à partis figura. Vnde iuniores recte intelligant, quid uoluerit Gal. per indicationem mutantem curationem, proponit hanc Indicationem capi à parte. Dicerem ego Galenum per mutationem curationis, non intelligere contraria indicantia, hoc eſt calida frigida. Nam hoc loco proponit indicata, quæ omnia in unica inflammatione abſoluuntur. Quare per mutationem curationis intelligit, opus eſſe uti pluribus, ſed diuerſis temporibus, uerbi gratia, in inflammatione utemur modò reprimente modò deriuante materiam,

teriam, modò uacuante, modò per ſenſibiles, modo per inſenſibiles meatus, ecce eſt mutatio in curatione, non indicantia ſint cōtraria, ſed quia nunc uno modo nunc alio utimur, hanc autem curationis mutationem ſignificat pars affecta, ut eſt ſignum materiæ Indicantis, Verbi gratia, temperatura calida ſignificat materiam attractam, temperatura frigida ſignificat materiam tranſmiſſam, & ſi pars ſit inſtrumentalis, inſtrumentalis, ut uerbi gratia, iecur ſecundum ſimum ſignificat uirtutem non perferentem ſectionem profundam, ut per inteſtina facienda ſit euacuatio. In alia Lectione, quomodo pars concurrat in uſu medicamentorum ſimilis ſpecie ſecundum pluris, uel minoris modum agamus.

LECTIO XXXIIII.

TErtium exponendum erat, quid uoluerit Galenus quando dicit partem inſtrumentalem in uſu medicamenti ſimilis ſpeciei indicare pluris minoriſque modum. Sciendū igitur, Gal. proponere quid agendū ideſt, cum indicetur remediū, uel calidū, uel tenue, opus eſſe ſcire an indicetur, uel magis uel minus calidū magis, uel minus tenue. Indicatur autē hoc à parte inſtrumentali, quē-

admodum

admodum seipsum explicare uidetur Gale-
13.M.17 nus 13.M.17. ubi habet iecur, & lienem similia medicamenta postulare siue genere, siue specie, inquit Galenus similia dicas. Est autem differentia, inquit Galenus ex maiori, & minori ratione accepta, hoc est, ut differentia est secundum magis, & minus, exempli gratia cum Galeno Scyrrosa materia, ut crassa indicat attenuans, at lien scyrro affectus indicat magis tenue, iecur minus tenue, nam ut dicit Galenus, quale est iecinoris absynthium, tale est lieni capparis cortex, rursus quale iecinori eupatorium, tale lieni scolopeudrien, unde hoc loco id quod indicat est materia crassa, at lienis materia scyrrosa est crassior, quare indicat magis tenue, unde subdit Galenus lienem tanto ualentiora indicare quam iecur, quanto lien crassiori utitur alimento, quare lienis actio, lienis conformatio, est signum materiei crassioris, à qua materia crassiore indicatur magis tenue, quam indicetur à materia scyrrosa in iecore, quare semper actio, conformatio, &c. sunt signa, non indicantia: ut non sit necessarium Indicantia multiplicare. Quare Galenus lib. decimoquarto Method.
14.M.5 cap. quinto, ait quoniam membrorum scyrro affectorum alia sunt rara alia densa, etiã uacuatio eorum diuersa specie remedia postulat,

ſtulat, unde ait Galenus, tum in tendinibus, tum in ligamentis, cum ſcyrroſa fuerit cum emollientibus indicantia ſunt permiſcenda. Difficile eſt intelligere quid uelit Galenus per remedia ſpecie diuerſa. Sciatis Galenum non intelligere quid agendum, ut materia ſcyrri indicet emolliens, & incidens, quæ ſpecie differunt, namque conueniunt, & mollientia, & incidentia, ſiue pars ſit rara ſiue denſa, unde loco citato Galenus probat acetum, probat incidens in denſa, & rara parte, ut idem Galenus repetit in fine capitis, quare dicendum Galenum per remedia ſpecie diuerſa intelligere non remedia, ſed materias remediorum, unde ait Galenus, uacuationem poſtulare diuerſa ſpecie remedia, hoc eſt uacuationem, hanc indicationem perfici diuerſis ſpecie materiebus, unde etiam utitur aceto, proponit autem acetum in membro denſo, & raro, at ut dicit Galenus non æque tuto, unde ſubdit in neruis ſi quis diutius aceto utatur, ſubſtantiam neruorum diſſipabit, at inquit Galenus in liene, & muſculis ſcyrro affectis tutus eſt aceti uſus, nam raræ hæ ſunt partes; ecce proponit materiam remedij, ideſt, acetum, & reſpicit ad noxam, quam aliquando poteſt inferre, ut ſecundum hanc rationem pertineat ad doctrinam de medica-

mentis non ad Methodum medendi, nisi ea ratione, qua causa aceti proponit quando agendum, quod in scyrro indicatur à presentia crassæ materiæ, & prohibetur à duræ præsentia, quia oportet prius emollire, & si dura non prohibeat, ut facta sit emollitio, longum tempus acetur, prohibet uirtus nerui, permittit uirtus musculi, uirtutis signum est raritas, est densitas partium, propter iuniores libet etiam extra librum de Methodo medendi aliquas proponere authoritates. Videatis Galenum secundo ad Glaucum secundo ait à parte quatuor sumi indicationes hoc est à temperatura, formatione, situ, & uirtute, ita eum locum intelligatis, loquitur Galenus de cura inflammationis, unde quo ad temperaturam docet quousq; est alteranda, ut temperatura sit signum gradus inflammationis, qui gradus est indicans. Quo ad formam respicit Galenus ad meatus, & cauitates, unde dicit Galenus quædam sunt partes, quæ habent spaciositates intus tantùm, ut uenæ, & arteriæ in artubus, quædam extrinsecus tantùm, ut nerui intra peritonæum, quædam utrinque, ut uenæ, & arteriæ intra peritonæum, quædam neutro modo, ut nerui in extremis partibus, tandem addit Galenus, uiscera fermè omnia intus, & extra magnas habere

spaciositates,

ſpacioſitates, & omni vtens diligentia Galenus, qua neglecta inſtar barbitonſoris curabitis patientes, ſubdit Galenus, quæ partes cauitates non habent aliquo modo ſunt, quæ ſuperfluum fluxum recipiunt, & iſtę partes ſunt fortiter ſiccandæ, licet non fuerint natura ſicciores, ut nerui in artubus, ſunt verba Galeni, & ratio eſt, nam ex Galeno nerui propoſiti neutra ex parte habent ſpacioſitates, quo loco notetur neruos, & præcipuè motorios inter ſiccas partes recenſeri. quare Galenus ita intelligendus, ut cum dixerit, licet nerui non ſint natura ſicciores, intelligit quandoque fieri poſſe, ut nerui à principio generationis in aliquo indiuiduo producantur molles, oportet autem etiam in iſtis fortiter ſiccare, propter conformationem, quia neutra ex parte habent cauitates, quæ conformatio non eſt indicans, ſed eſt ſignum materiæ pertinacis, materiæ quæ magis reſiſtit euacuationi, quoniam pars eſt deſtituta cauitate, ita igitur Galenum intelligatis, non ſecus.

Quo ad poſitum, poſitionem ait Galenus ex poſitu indicationem hauriri, quæ docet, per quæ euacuare oportet, & quomodo proponit Galenus quid agendum ſpecificum, & ubi, quid agendum ſpecificum

dum proponit commodum, qui modus, quod remedium ſpecificum, indicatur à materia, ut lædit partem talem ſitum obtinentem, ut uerbi gratia, materia, ut lędit renes indicat diureticum, quare læſionis ſignum eſt ſitus, qui tamen non indicat.

Quo ad ubi indicatur à ſubſiſtentia cuius ſignum eſt ſitus, ut alibi dictum eſt.

Quantum ad uirtutem ex Galeno loco citato facile eſt colligere uirtutem præſtantem prohibere, ignobilem permittere.

Arte Med. c. 89.

Præterea Galenus in arte Medicinali cap. 89. inquit in intemperie cum materia in parte capi indicationem à partis temperamento & ſitu, gratia, ſcilicet intemperiei, cauſa autem materiæ uacuandæ ait Galenus indicationem capi à forma, & ſitu ſimul, ita eſt intelligendus Galenus, quo ad intemperiem, prout uehementior fuerit indicat remedium uehementius, hanc magnitudinem indicat, ut ſignum complexio naturalis partis, quo ad ſitum, ſi pars fuerit profunda, inuenire oportet remediũ, ideſt, medicamentum cuius uis in itinere non reſoluatur, ſed hoc pertinet ad doctrinam de Medicamentis. Quo ad uacuationem ait Galenus à forma, & ſitu ſimul indicationem ſumi. Notetur autem, dicit Galenus loco citato, an pars habet effluxus meatus

ſenſiles,

ſenſiles, ut ad alium locum ad aliam partem foramina ponat, an potius careat, non habeat. Si pars habet hos meatus, meatus deferuntur ad partem uel nobilem, uel ignobilem, unde expedit, ut ſemper materia auertatur à parte nobili, & impellatur ad ignobilem, unde hoc loco curationem proponit Galenus, conformationem inſimul cum ſitu, ut ſigna uirtutis, uel permittentis, uel prohibentis, ut facile ex alibi expoſitis ſit Galenum hoc in loco intelligere.

Vltima authoritas fuit Hippocratis, & Galeni 6. Epid. 2 3 7. habet Hippocrates tranſitus aperire, ut nares, & alia quibus opus eſt, & ut conuenit, & qualia, ubi, quando, quantum, ut ſudores, & alia planè omnia. Si diligenter legetis Galenum in Commentarijs, & ponderabitis doctrinam hactenus à nobis propoſitam, facile cognoſcetis quemadmodum Hippocrates proponit in uacuatione quid agendum, quantum, quomodo, quando, & ubi, quid agendum quidem proponit per illa verba (quibus opus eſt) qualia, & quantum. Declaro quibus inſinuat materiæ peccatum à qua ſumitur quid agendum, per qualia ſignificat peccatum materiæ determinatæ, ut uerbi gratia, materiæ bilioſæ, aquoſæ,

per quantum poteſt intelligere quid agendum ſpecificum, ut libra bilis, præterea per quantum poteſt etiam intelligere quantum agendum: Hic enim fuit Hippocratis mos breuitate uti, ut quando dicit (ut conuenit) inſinuat modum agendi, quando, quomodo, ubi etiam notum eſt, ut ex his facile colligere licet, Hippocratem nihil aliud proponere quam quid agendum, & uſum, hoc eſt rectam adminiſtrationem, hoc eſt, quantum, quomodo, quando, & ubi, nec præter rationem, ſiquidem Methodus medendi nihil aliud nobis poteſt præſtare, quam hæc duo, hoc eſt, quid agendum eſt uſum, & hæc omnia in uirtute tantum trium Indicantium, quæ ſunt: Curatoria, præſeruatoria, & uitalia, ut ſiue ſermo fiat de indicantibus, ſiue de permittentibus, ſiue de prohibentibus, uſque adeo breuis conciſa eſt hæc Methodus, ut nihil aliud imaginari licet præter morbum, morbi cauſam, & materiam, in quibus nihil aliud debetis perpendere quam, uel eſſentiam, uel id quod conſequitur eſſentiam, & ob id ad laudem Dei Optimi Maximi hæc dicta ſint de Methodo Medendi.

Cæterum, ut hanc Methodum magis, ac magis aſſequi ualeatis, anno ſequenti hanc doctrinam applicabimus doctrinæ de febribus,

bribus, & doctrinæ similarium partium, quæ sunt subiectum febrium. At cum omne bonum à Deo pendeat, ille sit qui uos benignissimos auditores, & me erga uos regere secundum corpus, & animum non dedignetur.

FINIS.

Bononiæ,
Apud Io. Bapt. Bellagambam.
M D X C V I.
Impensis Simeonis Parlaschæ.

